QUOD DEUS BENE VERTAT!


31

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA DE VENENIS ET MORBIS VENENOSIS, EORUMQUE CURATIONIBUS ET ALEXIPHARMACIS

CUM PERMISSIONE
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN FLORENTISSIMA ELECTORALI
ERFURTINA ACADEMIA
SPECIMINIS PRACTICI LOCO
EDITA
AB
AUTHORE

JOHANNE ANDREA
SCHLEGELIO,
GLAUCHENSI MISNICO, p. t. MEDICINÆ
PRACTICO LEUCOPETRÆO.

ERFORDIÆ, STANNÔ KIRSCHIANO.



REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. AUGUSTO,

OSTULATO ADMINI-
TRATORI ARCHIEPISCO-
ATUS MAGDEBURGENSIS, PRI-
ATI GERMANIÆ, DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
E AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ,
RCHIONI MISNIÆ, UT ET SUPERIORIS ET INFERI-
ORIS LUSATIÆ, COMITI DE MARCA, RAVENS-
BERGA ET BARBY, DYNASTÆ RA-
VENSTEINII, &c. &c.

 UT



UT ET

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI ADOLPHO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ CLIVIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, UT E SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI DE MARCA, RAVENSBERGA ET BARBY, DYNASTÆ RAVENSTENII &c. &c.

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS,

in subjectissimè grati animi τεκμήριον

Medicam hanc Dissertationem

humilimè dedicat

AUTHO



REVERENDISSIME,
SERENISSIME
PRINCEPS,

UT ET

SERENISSIME
PRINCEPS,

DOMINI CLEMENTISSIMI.



Uòd SERENISSIMÆ CELSITUDINES Vestræ antehâc Tractatum meum de THERIACA & MITHRIDATIO, utut levi adumbratum penicillô, Serenissimâ

 fronte

fronte susceperint, meque hactenus contra malevolos quoslibet suô Clementissimô dignatæ fuerint patrociniô, illud est, quòd devotissimâ recolo mente, gratissimâque semper circumfero memoriâ: Illud est, qvod me minimum servum Vestrum ad quælibet subjectissimum animum testantia officia æternùm obstringit: Illud etiam est, quod me jam compellit, præsentem Tractatum de VENENIS, MORBIS VENENOSIS, eorumque CURATIONIBUS & ALEXIPHARMACIS ad SERENISSIMARUM V.Vestrarum CELSITUDINUM pedes pro debito, quamvis exiguo, deponere redhostimento, atque eô ipsô gratissimi pectoris signum quoddam statuere, ne omninò cogar vivere ingratus.

Ut igitur Vos DII TUTELARES, laborem hunc meum, ceu specimen Praxeos Medicæ, quæ mihi per DEI ter Optimi Maximi gratiam hactenus non infelix obtigit, benignissimè accipiatis, meque etiam imposterùm V.Vestrarum Gratiarum clypeo clementissimè contra adversarios protegatis, humilimè peto: Fateor utique donarium, quod offero, vile quidem & parvum esse: cum tamen veneratione æstimatum magnum sit, suam hôc ipsô excusare poterit tenuitatem, præprimis si juxtim aliqua spectetur utilitas, quæ inde in proximum pro scopo meo redundare potest: quo nomine etiam apud PRINCIPES tam benignos & longè optimos, quantum confido, nullam feret repulsam.
Pro-

Providentiam veneror Cœlestem, ut Vos PATRIÆ PATRES diutissimè præstet incolumes, felices, & omnium bonorum cumulis abundè auctos,

VESTRARUM CELSITUDINUM

Dabam Erfordiæ
d. 24. Junii
Annô 1679.

humilimus Servus

JOHANNES ANDREAS Schlegel/
Medicinæ Practicus.

VIrus Apollineâ domitat SCHLEGELIUS Arte:
Toxica sic Momi cogit abesse procul.

αὐτοσχεδ.

GEORG. CHRISTOPH. PETRI, D.
Med. Electoral. Mog. & Erfurtens. Ordinar. Fac. Med. Assessor.

HOstis quò gravior, tantò est victoria major,
Victoremque magis clara trophæa manent.
Corporibus nostris quæ major noxa venenis?
quas hominum vires sæva aconita timent?
Quapropter docto dum tractas toxica scripto,
SCHLEGELI, certis antidotisque domas;
Omne refers punctum præclara laude nitescens,
ac Tibi suppetias spondet Apollo suas.
Ringatur livor, fundant sua toxica Momi,
doctrinæ & solidæ Te teget artis honor.
Propitium fausto radiet Tibi sidere cœlum,
exhilarentque Tuos fata serena dies!

deproperab.

JOANN. CHRIST. Adlung/
Academ. Curios. Med. L.
& in Electorali Erfurtina
Prof. Publ. &c.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.



Deò misera est conditio vitæ mortalium, ut non tantùm infinitis morborum in corpore genitorum generibus oppugnetur affligaturque quotidiè, verùm etiam foris mille subinde venenis petatur & periclitetur: non rarò enim homines per propriam imprudentiam, sæpè & aliorum sceleratorum fraudulentam malitiam vitæ exitiosa devorant, hauriuntque Venena: quod homicidii genus, ut in Germania nostra rarissimè contingit & execrabile, ita apud alias quasdam nationes plus satis usitatum est, & impunè ferè exercetur; adeò etiam ut eorum quidam doctiores artem perniciosam conficiendi venena, quæ vel confestim interimant, vel homines in longum tempus torqveant, & tabefaciant, ac deinde necem inferant, crudeli ausu docere laudi ducant. In quibus est Neapolitanus ille *Johannes Baptista Porta* & alii plures.

Quin sæpè etiam homines incauti per contactum, ictum, morsumque venenatarum bestiarum & rerum venenosarum applicationem exitiosum virus attrahunt ac concipiunt & vitam in præsens periculum conjiciunt. Et quia Pharmacopæo simul atque Medico incumbit, venenorum & hujus generis morborum præprimis solicitam habere rationem; non utique abs re mihi visum est scitu utilia & necessaria quædam de hac ipsa materia, in qualecunque Medicæ Doctrinæ & practici judicii specimen, publicitùs tradere, atque adeò de diversi generis Venenis Morbisque Venenosis, eorum item Remediis & Curationibus agere: ut qui, postquam Illustrissima *Lipsiensis Academia* me die 5. Januarii anni 1657. suam in matriculam recipere dignata est, Rectore Domino M. Davide Schwertnero, Moral. Prof. Publ. Collegiis *ibi* tàm *publicis*, quàm *privatis Celeberrimi Dn. Doct. Johannis Michaelis* p.m. Studii Medici incrementa quæsivi. Postmodùm a. *Anno 1665. d. 23. Septembr.* ad probandos legitimos in Praxi Medicâ

profectus ibidem viam mihi sternere induxeram animum. Ac verò, attestantibus literis publicis, inclyta *ibi* Facultas Medica ad Examen practicum me admissura, calcar addidit, ut telam benè cœptam, DEO duce, pertexerem. Sed DEUS, cui aliter visum, illud propositum ita disponebat, ut tum temporis Pharmacopæus & Med. Practicus Stolbergæ, oppidi Misniæ, à *Reverendissimo ac Serenissimo Principe ac Domino, Domino AUGUSTO, Postulato Administratore ArchiEpiscopatûs Magdeburgici, Primate Germaniæ, Duce Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, LandGravio Thuringiæ, Marchione Misniæ, ut & Superioris ac Inferioris Lusatiæ, Comite de Marcâ, Ravensberga & Barby, Dynasta Ravensteinii, Domino meo Clementissimo*, Weisenfelsam vocatus, jubente Reverendissimi Principis privilegio, benignissimè mihi concesso, artem pharmaceyticam ulteriùs curarem excolendam. Ubi tamen non cessavi à sedula selectissimorum Practicorum lectione & quotidiana usurpatione, utpote *Fernelii, Plateri, Sennerti, Foresti, Riverii, Joelis, Poterii, Gr. Horstii, Steghii*, ut & recentiorum, *Joh. Marci Marci, Grembsii, Hoffmanni in Schröd. Tachenii & aliorum.* Istud verò excolendæ Medicinæ studium, dum qualicunque edito scripto fautoribus meis commendare conor, absit, ut animum mihi inducam claris peritisque Medicis in præjudicium quidquam audere: ut qui Medicastris solùm palmam præripere annitor. Unde etiam satis mihi est, non impegisse hic in Medicæ artis principia; utcunque de cætero, quæ bonis ex Autoribus collegi, non multum adeò laudis mereantur fortè.

Sequitur igitur, clementer annuente Divino favore, præsentis meæ Dissertationis

CAPUT I.

NOMINIS atque REI DEFINITIO.

QUia de Nomine ante omnia nos jubet esse sollicitos *Galenus*, dum *1. M. M. cap. 5. in omnibus, de quibus quæritur ad rationem oportet assumi ipsum nomen* inquit, & *Scaliger Exerc. 1. sect. 5.* affirmat: Eô perceptô in rei cognitionem meliùs veniemus: Sciendum est, quod Græci Venenum nominant φάρμακον, δηλητήριον, τοξικὸν: licet autem jam olim quoq; φάρμακον tam in bonam, quàm malam partem sumptum fuerit, plerumque tamen cum determinatione id factum, test. *Franc. Osw. Grembs. Arb. Integr. & Ruin. l. 2. cap. 5. de lue ven. p. 451. n. 28.* ubi ait, quod in Venenis scientiæ fructus boni & mali latent. Lati-

Latinis Venenum (Germanicè Gifft) dicitur secundum *Hieron. Mercurial. de Morb. Venen. l. 1. cap. 4. fol. 5. & cap. 12. fol. 16.* non quòd venas quasi necet, vel per venas vadat, prout vult *Santes Ardoinus*, cum Medicamentum & Alimentum idem faciant, & juxta *Fernelium de Abdit. rerum Caus. cap. 11. p. 104. & cap. 17. p. 132.* ut medicamenta etiam benigna in Alimentum cedant, sed quòd suâpte vi in partes veniat, nec trahatur ut alimentum, ut vult *Bob. Lyonett. Aniciens. tract. de Peste cap. 16.*

Virus autem vel odor teter, dicitur à malignis viribus, quòd Naturæ nostræ vim faciat & summâ sui hostilitate noceat.

Transfertur autem vox Veneni ad omnia ea, quæ nocere possunt, teste *Paulo Ammanno in Mat. Med. manud. p. 47.* ita *peccatum* & *vinum* venenum esse dicitur, & calumniatorum lingva venenata perhibetur, de quibus prolixè *Benjamin Scharffius de venen. derivatione cap. 1. p. 8. usque 12.* & *Hieron. Mercurial. l. 1. cap. 17. fol. 24.* Et juxta *Jacob. Zigler. de Fermentatione p. 54.* Vinum moderatè sumptum stomacho prodest, immoderatè sumptum veneni instar inimicum. Venenum porrò ab Authoribus variè definitur, ut quòd sit corpusculum subtilissimè per minima mixtum, è summè contrariis qualitatibus manifestis constans, humidum radicale, calidumque innatum impugnans, citoque expugnans, teste *Benj. Scharff. cap. 2. p. 13. & 14.* & per consequens morbus venenosus est διάϑεσις præternaturalis, Cor immediatè & vehementer offendens, ob vim veneficam humanæ Naturæ corruptivam. *Franc. Joel l. 2. sec. 1. p. 82.* dicit: Venenum est, quod assumptum universæ naturæ adversatur & congenitam temperiem labefactat, humores corrumpit & solidas corporis partes putrefacit, totiusque naturæ necem infert. Mihi verò definitio Veneni placet, quam tradit *Duncanus Liddelius in arte Medica l. 3. cap. 2. de caus. morb. in gen. p. 209.* Venena sunt corpora cordi inimica & humanæ naturæ corruptiva: Inimica dicimus, quia temperamentum cordis & calorem nativum principaliter dissolvunt, licet alias partes etiam lædant, cui assentiunt *Benj. Scharff. cap. 3. p. 18.* & *Hier. Mer. cur. l. 1. cap. 5. fol. 7.*

Talia vel à venenatis bestiis ejaculantur vel assumuntur, aliquando etiam adhibentur: & lædunt proprietate substantiæ; licet interdum *manifestis simul*, primis & secundis *qualitatibus*.

Sunt autem Venena medicamentis & alimentis opposita, quia

potissimùm Cor, caloris fontem, oppugnant, ipsamque substantiam caloris nativi corrumpunt, teste *Dunc. Lidd. l. 3. cap. 2. p. 209. & l. 5. cap. 4. p. 661.* Verùm omnia venena unius generis non sunt, nec uno modo agunt, tametsi omnia occulta malignitate & venenositate corpus nostrum corrumpant: alia nimirùm in corpore producuntur, alia extrà adveniunt, morsu, puncturâ, ictu, contactu, halitu, affrictione, inunctione, etiam in parva quantitate vim maximam habent, vid. *Sennert. l. 2. init. part. 2. cap. 12. de Caus. morb. tot. subs. p. 270. 271.* quædam per dispositionem loci Venenati fiunt, ut herbæ cœmenteriis vel locis subterraneis increscentes, quas ideò maleficas vocant, vid. *Jul. Const. in Epist.* Sic vina veneno Arsenic: vel mercurio sublatente inquinantur; sic Arbores & herbæ quædam metalla & mineralia continent, docente *Nordio de igne subterr.* Dixi: Alia venena manifestâ simul qualitate interimere, alia solius substantiæ proprietate. Manifesta autem illa qualitas, teste *Hieron: Mercur: l. 1. cap. 4. fol. 6. & cap. 10. fol. 12.* est calida, frigida aut sicca, nunquam propriè humida. Nam calida corrodendo, ut Lepus marinus, vel inflammando, ut Euphorbium, vel putrefaciendo corrumpendoque, ut sublimatum interimunt, vid: *Jacob. Ziglerus de Ferm. p. 53. Hier. merc. de venen. l. 1. cap. 10. fol. 12. Franc. Osw. Grembs. l. 2. cap. 5. de Lue ven. p. 451. n. 26.* Frigida porrò congelando Cor cum spiritu & sangvine inficiunt, ut opium, fungi venenati, hyoscyamus, mandragora, similiter papav. nigr. Sic etiam Nix & Glacies cum Aqua Nivali instar veneni sunt, cum plurimum ex ipsis citò rapitur ad Epar & Venas, veluti accidit ex frigore nivis in congelatis hominibus, aut post mutationem celerem balnei & æstus. Fit hoc per frigiditatem ultimatam, calorem & spiritus condensando, & cursum eorum per venas & arterias prohibendo, & viscera, imprimis verò Cor, mortificando, vid. *Hier. Merc. l. 2. cap. 12. de Fungis fol. 46. Petrus Forestus l. 30. de Venen. obs. 1. p. 9. & Bertrucius in Med. Pract. l. 2. tract. 3. de Cura Venen. general. fol. 245.* vel obstruendo vias spirituum, ut gypsum, plumbum ustum, teste *Hier. Merc. l. 2. Cap. 11. de Gypso, fol. 44.* Sicca verò depascendo humidum, ut calx viva, vel erodendo, ut Arsenicum, mortem afferunt. Adduntur his quædam validissimè purgantia, quatenus violenter & cum gravissimis symptomatibus evacuant, ut Ellebor. alb. Colocynth.

scam-

scammon. imprimis autem totius substantiæ potiùs, quàm manifesta, contrarietate calorem nativum corrumpunt & COR fontem caloris lædunt, ut ictus scorpii, viperæ, phalangii, Napellus & similia &c.

E quibus jam unâ perspicuum insuper est, quid & quinam sint morbi venenosi; nempe qui ab influxu venenoso, ut causa proxima, proveniunt; atque hinc vires corporis nostri malignè & perniciosè destruunt. Et prout Venenum illud internum seu in corpore nostro genitum est, vel superiùs dictis modis ab extra, per contagium, morsum, ictum ei illatum; ita & ipsi morbi venenosi duûm hinc generum sunt, ceu *infrà Cap. IV. & VII.* ulteriùs patebit.

CAPUT II.
SUBJECTUM exponit.

SUbjectum venenorum receptivum & morborum adeò venenosorum ut *QUOD*, est Homo, ut *Quo* (quo scil. mediante subjectum quod sustentat adjectum) est ejus Corpus organicis animæ facultatibus, utpotè *Vegetativâ, Vitali* & *Sensitivâ* pollens. Præcipuè autem COR, Vitalis facultatis organum, in quod potiora quæque venena primò contendunt, id ipsum, ceu vitæ arcem expugnatura. Agunt quidem venena malignis suis impressionibus in alia quoque corpora, huc tamen non pertinent, nisi quatenus morborum causæ evadunt eorumque nocivum effectum in hominem redundat: neque enim de bestias diversimodè afficientibus venenis mihi jam sermo vel consideratio est.

Inter partes, in quam nostri corporis præcipuum subjectum, in quod venena desæviunt, est COR, propugnaculũ & sedes vitæ actualis munitissima, calidi & humidi radical. vitalis influentis fons: utpote in quo uno Calidum Innatum & Humidum radicale actu calet, spiritus prætereà vitalis, quem *Helmontius* Archæum influum vocat, continuò gignitur. Videantur *Hieron. Mercurial. de morb. venen. l. 1. in Proœmio fol. 1. & cap. 2. p. 3. Felix Platerus tract. 2. de dolorib. l. 3. cap. 2. de febrib. p. 77. Hieremias Thriverius in Meth. Medic. p. 72. & P. Forestus l. 30. de venenis obs. 1. p. 13. Andreas Libavius part. 1. de venen. cap. 11. p. 352. Godfr. Steeghius in Med. Pract. l. 7. de morb. venen. cap. 2. p. 318.* In hoc igitur actualis vitæ principium radicale primariò grassantur venena. Cum enim vim vi repellere non possit COR HUMANUM, sed ita sit tem-

 pera-

peratum, ut summæ isti pestiferi hostis violentiæ resistere nesciat, succumbit utique hinc, nisi maturâ recreetur alexipharmacorum ope.

Quanquam non semper nec statim mortem infert venenum, sed diu interdum absque sensibili noxâ latere potest: uti refert *Hieremias Thriverius Med. Medicinal. p. 129. & Amatus Lusitan. cap. 2. cur. 56. de Puero, qui epoto Arsenico post annum demùm obiit*, ita & *P. Forestus l. 18. obs. 28. & l. 10. obs. 27. p. 217.* se tales novisse asserit. Impeditur enim insultus Veneni, vel ratione sui, vel ratione objecti, vel ratione medii salutiferi teste *Zacut. in Histor: Med. 1. 2. quæst. 4.*

Agunt quoque Venena per odorem fermentantem & eructantem: e.g. halitus sulphuris vitro inclusus ellychnium post aliquot dies admotum extingvit, sic dolia fracidum continentia fermentum, candelam extingvunt, cerevisiæ & vina fermentantia homines in cellis prosternunt, uti testantur *Petr. Borellus cent. 2. obs. 4. p. 112. de suffocatione à musti vaporibus & Petr. Forestus l. 9. obs. 2.* ubi de duobus Monachis refert, qui in penario ex odore cerevisiæ fæcem ebullientis mortui sunt. Fiat ergò conclusio ex *Galeno l. 1. de Aliment. & l. 3. de temper. cap. 1.* & cum *Avic. l. 2. tract. 1. Cap. de Venenis.* Venena omnia COR vitæ principium, fontem caloris & nectaris vivifici, quo vigente vigent omnia, langvente langvescunt, intereunte intereunt, tanquam scopum peculiarem petunt, teste *Hieron. Mercur. de defin. venen. l. 1. cap. 5. fol. 7.* Et quia alimentum & venenum, respectu nostri, sunt contraria, uti sentit *Fernelius l. 2. de abd. rer. caus. cap. 17. v. 132.* corpus humanum verò medium est inter venena & alexipharmaca, secundum *Bald. Angel. Abb. de viperarum natura p. 40. 41.* idcircò hoc vi maleficâ, affirmante *Jacobo Ziglero de ferment. & corrupt. cap. 19. p. 53.* antipatheticè COR & omnia membra corrumpit, illud verò sympathicè reficit & conservat.

CAPUT III.

CAUSAS Morborum Venenosorum, & Venenorum, quatenus sui generis morbum pariunt, Mediatas, Remotiores ex rerum Naturalium & Præternaturalium classe annectit.

CAusa Proxima morbi venenosi ipsum est Venenum; internum, vel foris intromissum &c. Causæ verò, quæ antecedenter ad Ve-

Venenorum generationem, vel motionem, vel faciliorem susceptionem faciunt, sive sint internæ, sive externæ, referri possunt ad Naturales & Præternaturales. Inter Naturales se offert interius Temperamentum Calidum & Humidum, quod corruptionem & putredinem facilè admittit & Veneno quocunque modo applicato planam viam sternit, teste *Hipp. 1. & 2. Epid.* Præternaturaliter Venena exteriùs implantantur corporibus nostris aëris constitutione malignâ & contagiosâ juxta *Benjam. Scharff. cap. 4. de orig. venen. p. 44. & Hieron. Mercurial. l. 1. cap. 13. fol. 17.* Ita etiam faciunt Astra & syderum influentiæ, item Contagium, quod non solùm inficit, sed & solâ conversatione propagatur; testib. *Foresto & Schenkio in observ.* Vel si aër venenatis vaporibus repletus & ex inferioribus exhalationibus malignam & venenatam qualitatem habet, ut scribit *Andreas Cæsalpinus l. 3. de venenis spiritu illatis cap. 46. p. 216.* Vel accipit ex voraginibus & specubus, aut paludibus, aut cadaveribus, teste *Sennert. l. 2. Inst. part. 2. cap. 12. de Contagio p. 274. & 275.* Ita etiam omnia Venena quocunque modo hausta vel sumpta intra corpus, corrumpendi vim habent; similiter animalium venena, quæ ictu & morsu corpori nostro communicantur, aut aliunde extrà adveniunt. Vid. *Hier. Mercur. l. 1. cap. 13. fol. 18.* venenosum inducunt morbum docente etiam *Sennert. l. 2. part. 2. cap. 8. p. 247.* Quantum verò ad primam originem Venena utique producta sunt à DEO, eo tempore, quô omnia producta fuerunt, probante *Basilio Divin. Homil. 5. super Exodum.*

CAPUT IV.

Diversi ordinis DIFFERENTIAS, præsertim autem per tria Genera ex Regno Animali, Vegetabili & Minerali ostendit.

VAriæ equidem sunt vel è præmissis notæ Venenorum & hujusmodi morborum differentiæ: ut, quod Venenum aliud sit interiùs genitum, aliud foris admissum: aliud lentum, aliud præsentaneum: aliud absolutè & semper nocivum: aliud κατά τι & improvidè admissum. Videatur *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 5. p. 115. Benjam. Scharff. cap. 3. p. 18 & 19. & cap. 4. p. 40. Sennertus Inst. l. 2. part. 2. cap. 12. p. 279.*

Nobis verò jam placet distinctio, quam tradit *Baldus Angelus Abb. de Viper. natura p. 149.* utpotè quòd Tria potissimùm sint

Vene-

Venenorum genera, ex quibus homo inter cætera animantia maximum percipiat nocumentum; & aliud fit Animale, aliud Vegetabile, aliud Minerale. *Accipio a. b. l. Veneni vocabulum laxiori, non strictiori sensu: quod suprà circa Nominis definitionem debuerat præmoneri.*

Primi generis seu Animale exhibent:

I. GENUS ANIMALIUM. *1. 2. 3.* Apes, Crabrones & Vespæ, *4. 5. 6.* Aranearum Phalangiarum & Tarantularum genera, *7.* Basiliscus, *8. 9.* Bufo, Rubeta, *10. 11. 12.* Bupreftes, Erucæ & Papiliones, *13. 14.* Canis & Lupus rabiosus, *15.* Cantharides, *16.* Cervus, *17.* Felis, *18.* Hirudo, *19.* Homo, *20. 21. 22.* Murium, Soricum & Talparum genera, *23.* Pastinaca marina, *24.* Sangvis Taurinus, *25. 26. 27. 28.* Serpentum, Angvium, Colubrorum & Viperarum genera, *29.* Scorpio, *30.* Vespertilio.

Quæ verò è vegetabili regno proveniunt, sunt radices, foliorum succi, fructus, vel semina: utpote

II. GENUS VEGETABILIUM. *1. 2.* Aconitum, Napellus, *3.* Agaricus, *4.* Cataputia, *5.* Cicuta, *6.* Colocynth: *7.* Coriandrum, *8.* Crocus, *9.* Cyclamen, *10. 11.* Elleborus Albus & Niger, *12.* Euphorbium, *13.* Fungi venenati, *14.* Hyoscyamus, *15. 16.* Juglans & Sambucus, arbores: *17.* Laureola: *18.* Mandragora: *19.* Mezereon: *20.* Nuces Vomicæ: *21.* Olander: *22.* Opium, *23.* Psyllium: *24.* Ranunculorum genera: *25.* Scammonium, *26.* Staphisagria, *27.* Taxi arboris baccæ: *28.* Tithymalorum & Esularum species, *29.* Turbith, *30.* Viscus arborum.

Ex Mineris eruta Tertii generis vel ex genere Fossilium, sive Metallorum ac Mineralium, Venenata sequentia existimantur.

III. GENUS MINERALIUM. *1.* Alumen, *2.* Antimonium, *3.* Arma venenata, *4. 5.* Arsenicum, Auripigmentum, *6.* Borax, *7.* Calx viva, *8. 9. 10.* Cerussa, Minium & Plumbum ustum, *11.* Cinabrium, *12. 13.* Æs ustum & Ærugo, *14.* Ferri sqvamæ, Ferrugo vel Rubigo, *15.* Gypsum, *16.* Halitus Venenati, vel Vapores in Montium cavernis & specubus, Fumi virulenti carbonum & candelarum sebacearum, *17.* Lapis Armenus, *18.* Lapis Calaminaris, *19.* Lap. Lazuli, *20.* Lap. Magnes, *21. 22.* Lazurinum cæruleum & Lithargyrium, *23. 24. 25.* Mercurius Præcipitatus, Sublimatus & Vivus, *26.* Nitrum, *27.* Sal Armoniacum, *28.* Sulphur, *29.* Vitriolum, *30.* Vitrum. Et hæc sunt Venenorum genera collecta ex Classibus tribus; Venenorum, inquam, laxiori sensu appellatorum.

C A-

DIAGNOSTICA & PROGNOSTICA Signa præſentis & futuri, in tribus regnis, Veneni tradere parat.

SIne dubio ii, qui Medicinam cum *Sylvio* merè conjecturalem volunt artem, præcipuè reſpiciunt ad Semioticam ejus partem: quòd incerta ſint morborum Signa. Verùm uti illos univerſim invictè & luculentè redarguit *Excell. Dn. D. Leichnerus in Epicriſi contra Sylvium & alibi*: ita ſeorſim hîc monendi ſunt, quòd, licet non detur cujusque morbi unum aliquod pathognomonicum & infallibile ſignum, plura tamen conjunctim ſumpta illius vicem ſuppleant: quòd item Doctrinæ & Principiorum ratione vera Medicina, & Semiotica, omninò certa ſit, licet quoad praxin & applicationem individualem conjecturalis ſæpè. Eſt autem Signorum tanta ad Medicinam rectè faciendam vis, ut iis ſublatis, fundamenta ipſius ſenſim collabaſcere neceſſum ſit. Ea quippe in morbi cognitionem nos manuducunt, & quicquid vel in præſens ad illius dijudicationem, vel fauſti, infauſtivè, eventus prædictionem in futurum ſpectat, graphicè nobis præfigurant.

Hinc Medicus Dogmaticus ab Empirico diſcernitur, præter curioſam morborum evolutionem, per exactam ſignorum inqviſitionem. Ignavum contrà Empiricorum pecus, de cauſis morborum cognoſcendis parùm ſolicitum eſt, multò minùs ſignorum, quæ à cauſis & aliunde petuntur, ullam habet rationem. Quantum igitur in ſpecie nunc ad Signa & Indicia morborum venenatorum, vel à veneno provenientium, ſunt illa Veneni vel *præſentis, præſentanei* vel *temporanei* ſeu lenti, quovis denique modo *communicati*: Videantur *Petrus Foreſtus l. 30. de Venenorum ſignis & temperament. obſerv. 2. p. 20. usque 24. & Hieron. Mercurial. de ſignis venen. l. 1. cap. 16. fol. 22. Andreas Cæſalpinus l. 3. cap. 7. p. 158.*

Præſentis ſigna ſunt ſecretus horror, cibi potusque averſio, rerum Venenis adverſantium ſenſibilis immutatio: ſic bufonites & lingva ſerpentum, teſt. *Andrea Cæſalpin. l. 3. cap. 8. p. 159. & Hoffmanno ſupra Schröd. l. 5. ſec. 1. p 646.* præſente Veneno ſudore perfunduntur, ideoque prophylacticè geſtantur.

Veneni communicati, ſive aſſumpti ſigna ſunt, ſubitaneus naturæ horror & Archei pavor, morſus & vellicatio ventriculi, ſingul-

gultus convulſivus, nimius vomitus, pulſus inæqualis, refrigeratio rara, vel etiam freqvens ſyncope, tremor cordis, virium repentina proſtratio, lingvæ, labiorum & ungvium nigrities, urina nigra, tenuis; maculæ, puſtulæ, exanthemata &c. de qvibus prolixè *Franc. Oſwald Grembſ. l. 2. cap. 5. p. 451. n. 30. Hieron. Mercur. l. 1. cap. 16. fol. 22. de ſignor. venen. Sennertus in Inſtit. l. 3. part. 2. cap. 3. p. 677. de venenor. ſignis, Benj. Scharff. cap. 14. p. 175.*

Externa ſigna inflicti Veneni verò ſunt, læſæ partis peculiaris dolor, cutis & totius corporis habitus variegatus color, horror & frigidus ſudor; uti referunt *Galenus l. 5. de loc. affect. cap. 7. Hochſtetterus decad. 1. Obſ. Med. caſ. 5. Ardoyn. l. 2. de Venen. cap. 7. & l. 3. cap. 1. Fernelius l. de cura luis ven. cap. 7. p. 257. Salmuth cent. 2. obſ. 45. p. 78. & obſ. 48. p. 79. Benjam. Scharff. p. 175.*

Præſentanei veneni ſignum commune eſt ſubita & maxima corporis humani mutatio, ut hominem in vitæ periculum dejiciat. *Temporanei* verò & lenti non adeò certa ſunt, præſertim in principio; tunc enim latet angvis in herba.

Quapropter cùm tanta ſit Venenorum hujusmodi ſignorum vis & neceſſitas, operæ pretium fuerit, eorundem in ſpecie recenſendorum loco triplicis Regni (utpotè Animalis, Vegetabilis & Mineralis) Venenorum effectus ac ſymptomata hîc ſtrictim recenſere:

Igitur in genere primùm ANIMALI

APES, CRABRONES, VESPÆ. 1. 2. 3. Obveniunt *Apes, Crabrones & Veſpæ;* ceu inſecta mellificantia, aculeata volitantiaque, quæ ictu morſuq; ſuo noxia ſymptomata inferunt, acerbiſſimum ſcil. & pungentem dolorem, puncti etiam loci tumorem cum rubore: vid. *Petrus Foreſtus l. 30. de Venen. obſ. 12. p. 186. Bald. Timæus* von Gülden-Klee *in caſ. Medic. l. 7. de Morb. Venen. caſ. 17. p. 322.*

ARANEARUM, PHALANGIARUM, TARANTULARUM *genera.* 4. 5. 6. Aranearum, Phalangiarum & Tarantularum genera, nobis nota & ignota, quæ Araneorum grandiorum formam obtinent, ſed domeſticis longè majores & veneno pernicioſiores, morſu & ictu, aut ſicubi caſu in eſculenta & potulenta delabantur & cum eis intra corpus ingerantur, hæc ſeqventia inferunt ſymptomata; Appetitus proſtrationem, Epatis debilitatem & Ictecritiam; vulnus infligunt adeò exile, ut viſu deprehendi neqveat,

ſed

sed ex dolore & livida intumescentia loci demorsi dignosci potest, quod tamen paulò pòst subseqvitur faciei pallor, artuum tremor & totius corporis intumescentia, ac deinceps sudoris frigidi eruptio, continuum emingendi sterile desiderium, lachrymæ involuntariæ, quin denique mors etiam.

De descriptione Tarantularum & earum mirabiliter operante veneno, item Phalangiarum & Aranearum legantur Autores: *Franciscus Oswald Grembs l. 2. cap. 5. de lue ven. p. 451. n. 27. & C. 1. §. 4. de splen. morb. p. 190. n. 45. Adam Olearius* in der Gottorffischen Kunst-Kammer *p. 19. n. 4. Benjamin Scharffius de venen. animal. cap. 6. p. 57. 59. Petr. Forestus l. 30. de Venen. obs. 12. pag. 153. 155. Philipp. Salmuth. Cent. 2. obs. 48. p. 79. Petr. Borellus Cent. 1. obs. 81. p. 87. & Cent. 3. obs. 19. p. 212.* Johann Bitterkraut *p. 510. 511. Kircherus de Magn. l. 3. Erasmus Francisc.* in der Schaubühne *p. 675. Godefrid. Steegbius Med. Pract. l. 7. de morb. venen. cap. 21. p. 354.*

7. *Basilisci*, quasi regis Virulentorum, serpentis monstrosi, ex halitu venenato, vel potiùs ex specubus venenatis originem trahentis, symptoma est, mors subita atque citissima. Qui plura & scitu non indigna de Basilisco cognoscere cupit, legat *Johann. Priaci. Ænigm. l. 3. ænigm. 23. & Epist. Phys. Med. l. 7. cap. 10. Hieron. Mercur. l. 1. cap. 13. fol. 18. Joh. Heine de Morb. Astral. p. 4. Sennert. l. 2. part. 2. cap. 12. de Venen. p. 280. Matthiol. in præf. in 6. Dioscor. Benjamin Scharff. de Venen. cap. 6. p. 57. & 59. Joh. Fernel. de abd. rer. caus. cap. 14. p. 116. Petr. Forestum de Venen. l. 30. obs. 1. p. 11. & obs. 12. p. 182. Andr. Cæsalpin. l. 3. de Venen. cap. 4. p. 153. & 154. AndreamLibuv. de Venen. cap. 15. Corall. 3. p. 371. & porrò Cæsalpinum l. 3. cap. 45. p. 215. Bartholinum Cent. 1. Epist. 34. & 92. p. 134. 706.* BASILISCUS.

8. 9. *Bufo, Rubeta*, animalia plena veneno. Horum symptomata perniciosissima, quæ ex cineribus combustis intra corpus assumptis, aut carne degustata, aut sangvine hausto, aut ex herbis, radicibus, aut fructibus salivâ, urinâve bufonis infectis & intra corpus ingestis, excitantur, præcipuè hæc sunt: totius corporis subita intumescentia cum buxeo, i. e. ex flavo in viridem vergente, colore, faucium & gutturis inflammatio & respirationis interceptio, gravis & fœtidus halitus, fastidium, vomitio, vertigo, delirium, convulsio, animi deliqvium & postremò misera BUFO, RUBETA.

mors, & si qui per tempestivam medicationem liberantur, tamen utplurimùm edentuli redduntur, test. *Hoffman. suprà; Schröd. l. 5. sect. 1. §. 7. p. 644. Paul. Amman. in re medic. p. 151. Salmuth. Cent. 2. obs. 93. p. 166. Borell. Cent. 2. obs. 43. p. 145. Grembs de ortu rer. l. 1. cap. 7. §. 8. p. 63. n. 22. & l. 2. cap. 4. de Peste p. 441. n. 47. & 49. Benjamin Scharffio de Venenis cap. 6. p. 57. Foresto l. 30. de Venenis obs. 6. p. 72. 74. Timæo à* Güldenklee *l. 7. de morb. venen. cas. 16. p. 322. Andrea Cæsalpino l. 3. cap. 13. p. 170.*

BUPRESTES, ERUCÆ, & PAPILIONES.

10. 11. 12. *Buprestes, Erucæ* & *Papiliones*, vermes duriusculi, corticem, quemadmodum scarabæus habentes, partim oblongiusculi, partim alati, arboribus & oleribus perniciosi, symptomata ex assumptis intra corpus hæc subseqvuntur: Oris, lingvæ & gulæ dolores inflammabiles & pruriginosi, totius corporis exæstuationes, ventriculi & intestinorum erosiones & totius ventris instar Hydropis intumescentia & urinæ suppressiones, reliquavè cantharidum assumptarum accidentia secundum *Andream Cæsalpinum lib. 3. de Venenis cap. 11. p. 169. Benjamin Scharffium cap. 6. p. 57. Godefr. Steeghium Med. Pract. l. 7. cap. 52. p. 363.*

CANIS & LUPUS RABIOSUS.

13. 14. *Canis*, vel *Lupi Rabiosi*, per morsum, per vulnus nimirùm salivâ seu spumâ in corpus immißâ symptomata perniciosa præter dolorem loci demorsi, post 40. aut etiam plures dies, septimanas, menses & annos, ubi vulnus jam est consolidatum, & nihil periculi metuitur, plerumque sunt: Tristitia & paulò pòst homo in fixas & melancholicas cogitationes incidit, ac nocturno etiam tempore, de canum ferocium invasione somniat, pavoribus infestatur & cum clamore evigilat, tandem augescente melancholicâ colluvie, lucem & conversationem hominum aliorum aversatur, & secum solus murmurat, alloqventesque torvè intuetur: his interdum accedit febris, & æger in vehementissimam sitim collabitur, vel hydrophobiam, i. e. pavorem ac metum aquæ omniumque liqvorum potabilium, incidit, non profectò ratione qualitatum primarum, sed occultæ proprietatis: uti testantur *Grembs l. 2. cap. 1. §. 4. p. 189. n. 33. Sennertus in Inst. l. 2. part. 2. cap. 12. p. 279. de Venen. & part. 3. sect. 1. cap. 7. p. 327. de sympt. sens. int. & part. 3. sect. 2. cap. 4. p. 427. de caus. sympt. sens. int. & p. 429. usque 431. Timæus in respons. p. 93. resp. 34. Borellus Cent. 1. obs. 74. p. 78. & obs. 75. p. 81. it. cent. 3. obs. 38. p. 227. & obs. 68. p. 250. Hier. Merc. l. 1. cap. 13. fol. 18. Fracastor.*

castor. l. 2. cap. 10. Benjam. Scharff. cap. 3. p. 24. usque 28. & cap. 6. p. 57. Platerus l. 1. observ. p. 83. Bartholinus Cent. 3. Epist. 48. p. 198. Timæus l. 7. cas. 22. 23. p. 326. 327. Forestus l. 10. observ. & curat. obs. 27. p. 213. & obs. 28. p. 218. usque 225. & l. 30. de Venenis obs. 11. p. 151. Fernelius l. 2. de abd. rer. caus. cap. 11. p. 103. Platerus in Praxi cap. 3. p. 102. de function. læsionib.

15. *Cantharidum* assumptarum vel extrà applicatarum symptoma est præcipuum exulceratio vesicæ & meatus urinarii: suâ enim formâ substantiali & occultâ proprietate Cantharides assumptæ, reliquis visceribus prætcritis, ad vesicam statim deferuntur, ideò earum assumptionem sequitur stranguria sive urinæ stillicidium & cruentæ urinæ prostillatio, & Virgæ exulceratio, deinde paulatim inflammatur Epar & eroduntur Intestina, & immensi dolores in Hypogastrio excitantur, quos dolores mentis alienatio & mors subsequitur, nisi Venenum properè expellatur, ejusque vis infringatur, test. *Hier. Mercur. l. 1. cap. 13. fol. 17. 18. de Venen. Godefr. Steegbio l. 7. Med. Pract. cap. 50. p. 362. Riverio in Inst. Med. l. 3. sec. 2. p. 62. Bartholin. Cent. 4. Epist. 65. p. 400. Heine de Morb. Astral. p. 5. Andrea Cæsalpino l. 3. cap. 11. p. 168. Foresto l. 30. obs. 6. de Venen. Fernel. de abd. rer. caus. cap. 14. p. 117.* CANTHARIDES.

16. *Cervi cauda venenata* est, quæ comesta, vel ejus bilis intra corpus assumpta, sævissima excitat symptomata: intolerabiles angustias, crebra animi deliquia, ac brevi tempore, nisi succurratur, interitum infert; vid. *P. Forestus l. 30. de Venen. obs. 7. p. 78. Petrus de Albano de Venenis cap. 69. Agricola de Cervo cap. 18. p. 113. Bald. Angel. Abb. de Viper. p. 32. Godefr. Steegbius l. 7. Med. Pract. de Ven. p. 361. cap. 45.* CERVI CAUDA.

17. *Felis* sive Catti cerebrum venenosum comestum perniciosiora symptomata infert, & statim cerebrum hominis perturbat, crebras vertigines excitat & in amentiam conjicit, in qua æger diu noctuque oberrare & alia loca scandere, nisi vinculis cohibeatur, cogitur, &, nisi tempestivè huic malo succurratur, in amentia ea vitam miserè finit. Nocet summè etiam sangvis haustus, de quo obs. habet Weinreich teste *Sennerto l. 2. part. 3. sect. 1. cap. 7. p. 327.* ita etiam morsu, saliva; si quis pede, vel manu, in salivam conspersam incidit, mox dolores cum tumore & crustam cutis sentit, posteà vesicæ & ultimò ulcus excitatur, halitu FELIS CEREBRUM, SANGVIS & MORSUS.

quoque & ungvium laceratione dolorem & tumorem, vulnusque non facilè curabile feles inferunt, secundum *Franc. Osw. Grembs l. 1. cap. 7. §. 8. p. 65. n. 40. Godefr. Steegbium Med. Pract. l. 7. de Venen. cap. 45. p. 361. Bald. Angel. Abb. p. 33. Salmuth. Cent. 1. obs. 47. p. 30. de sangvin. assumptione, Forestum l. 30. de Venenis obs. 7. p. 77. de eorum morsu obs. 11. p. 152.*

HIRUDINES. 18. *Hirudines* deglutitæ symptomata inferunt, prostrationem appetentiæ & varias ac melancholicas imaginationes, etiam mortem, superveniente Epilepsiâ & convulsionibus excitant; refer. *Franc. Osw. Grembs l. 2. cap. 5. pag. 452. n. 31. B. Timæo de morbis ven. l. 7. cas. 19. p. 324. P. Foresto l. 30. obs. 6. p. 75. P. Borello Cent. 1. obs. 24. p. 33.*

HOMO. 19. *Hominis* virulentæ ac venenosæ partes hæ sunt: Halitus, saliva ex lepra, vel morbo Gallico, aut scorbuto infecta, sangvis impurus, dentes morsu, jejuni & irati præcipuè hominis, absque periculo non sunt, item sangvis menstruus mulierum & laceratio ungvium: vid. *P. Borellus Cent. 1. obs. 43. p. 50. Bald. Ang. Abb. p. 155. Zwölfferus in Animadv. super Aug. p. 272. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 7. p. 79. de Sangv. Menstr. Godefr. Steegb. Med. Pract. l. 7. cap. 48. p. 361. de ung. lacerat. item cap. 49. p. 362. de Sang. Menstr. Benjam. Scharff. p. 60. Hier. Merc. l. 1. cap. 13. fol. 17.*

MUS, SOREX & GLIS, MUSTELA & TALPA. 20. 21. 22. *Murium* agrestium, sylvestrium & montanorum plura genera, majorum imprimis & soricum: adhæc glirium, mustelarum & talparum, suo morsu, salivâ & urinæ conspersione, valde periculosa inferunt symptomata: vulnus siquidem ex eorum morsu, teste *Foresto l. 30. de Venenis obs. 11. p. 151. & obs. 12. p. 161.* utplurimùm inflammatur & putrescit, & circa vulnus nigricantes pustulæ sanieque atrâ turgentes excitantur, ac tandem in ulcus depascens & serpens degenerat. Simili ratione etiam urina eorum venenata per cutem sparsa, instar serpiginis exulcerat, nisi subitò locus contaminatus salsugine abluatur, observ. habet *Salmuth. Cent. 3. obs. 95. p. 157.* vid. etiam *Hieron. Mercur. l. 1. cap. 13. fol. 18. Beccherus in Zoologia p. 58. Hoffmannus super Schröd. l. 5. sect. 1. p. 688. de Talpa.*

PASTINACA MAR. 23. *Pastinaca Marina*, piscium genus, (teste *Adamo Oleario* in der Gottorffischen Kunst-Kammer *p. 34.* Sole exsiccatus, Germanicè Roch dictus, piscatoribus inimica, si caudâ vulnerat & pungit, infert symptomata: Vulnus valdè difficilis curationis est, & , si al-

ſi altiùs figat radices, nervos in corpore lædat, acerbum dolorem excitat, & vulnus ab ictu denigrat, &, ubi digitis comprimitur, atra profluit ſanies, ſeqvuntur convulſiones, ſtupor & tandem mors: de qua refer. *Hier. Mercur. l. 1. cap. 9. fol. 17. Foreſtus l. 30. de Venenis obſ. 12. p. 184. Godefr. Steeghius Med. Pract. l. 7. cap. 23. p. 355.*

24. De *Sangvinis Taurini* in ventriculo coagulati, de aliorum etiam plus minus venenatorum animalium ſangvine, quatenus coagulatur & in malignitatem vertitur, ſymptomatis legantur *Fernelius Meth. Med. cap. 9. p. 29. Hier. Merc. l. 1. cap. 13. fol. 18. & cap. 17. fol. 24. Cæſalpinus l. 3. de Venenis cap. 16. p. 177. P. Foreſtus l. 30. de Venenis cap. 40. p. 360. B. Timæus l. 7. de morb. venen. caſ. 14. p. 320. F. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 32.* SANGVIS TAURINUS

25. 26. 27. 28. *Serpentum, Angvium, Colubrorum & Viperarum* genera. Eorum maligna ſymptomata, quæ morſu animantibus adferunt, & dira & lethalia, procul dubio vi & efficaciâ maledictionis divinæ in antiqvum ſerpentem (ubi ſcriptum eſt: Inimicitias ponam inter te & ſemen mulieris) oboriuntur, quia in gingivis dentium tumentibus virus conficitur ſpirituoſum, & in duabus veſiculis dentes ipſarum tegentibus conſiſtit, teſte *Adamo Oleario* **in der Gottorffiſchen Kunſt-Kammer** *p. 18. tab. 12. Bald. Angel. Abb. de Viperis p. 24. & 81. Petro Poter. Pharm. Spagyr. l. 1. p. 367. P. Borello Cent. 1. obſ. 43. p. 50. P. Amman. in Mater. Med. pag. 160. Zwölfferoin Ænigm. pag. 212. Hoffmanno ſuper Schröd. l. 4. ſect. 1. p. 445.* Hinc ſtatim poſt morſum univerſum intumeſcit corpus, colore mutato, ſecundum *Sennertum l. 2. part. 2. cap. 8. p. 246. de Humorib.* & faucium vehemens ſiccitas & capitis dolor ſubſeqvitur: ex vulnere autem cruenta ſanies, cum tumore loci demorſi, manat; deinde etiam virulenta ſanies profluit, & circa tumens vulnus puſtulæ aduſtæ & nigricantes excitantur: intra corpus Epar ſenſibiliter inflammatur, paulò pòſt bilioſæ evomitiones ſubſeqvuntur, in quibusdam accedit ſopor & ſudor frigidus cum cruenta urina, niſi etiam citiſſimè veneno occurratur, alios intra ſeptem horas, alios tertio, alios ſeptimo die interimit: Vid. *Godefr. Steeghius l. 7. de Venenis in Med. Pract. cap. 12. usque 20. p. 352. usque 354. Andreas Cæſalpinus l. 3. cap. 36. pag. 197. & cap. 41, 42, 43. p. 206. usque 210. P. Foreſtus l. 30. obſ. 12. p. 163. usque 169. Hieron. Mercur. l. 1. cap. 13. fol. 18.* SERPENTUM, VIPERARUM, ANGVIUM & COLUBRORUM *genera.*

29. *Scor-*

SCORPIO. 29. *Scorpio.* Ex ictu Scorpionum satis sæva excitantur symptomata, quin & lethalia: Locus ictu percussus primùm inflammatur cum rubore & acerbo dolore; deinde inæqualis subseqvitur intemperies corporis, quod nunc æstuat, nunc rursum frigore infestatur, teste *P. Foresto l. 30. obs. 12. p. 159.* tandem & sudor frigidus subseqvitur & horror cum tremore, ac si quis in pede à scorpione ictus sit, ei bubo circa ingvina, si verò in manus, bubo circa axillas excitatur: Vid. *Andr. Cæsalpinus l. 3. de Venen. cap. 39. p. 202. Sennertus l. 2. part. 2. cap. 8. p. 247. de Humor. Beniven. de abdit. morb. caus. cap. 56. Joh. Fernelius l. 2. de abd. rerum caus. cap. 18. p. 118. Borellius Cent. 1. obs. 33. p. 41. Godefredus Steegbius Med. Pract. l. 7. cap. 22. p. 354. & Benjamin Scharffius cap. 6. p. 57. Hieron. Mercurialis l. 1. cap. 13. fol. 18.*

VESPERTILIO. 30. *Vespertiliones* totâ suâ substantiâ venenatæ sunt & tum morsu, tum aliquâ suæ partis assumptione, perniciosa excitant symptomata, per omnia iis similia, quæ ex morsu rabidi canis concitata sunt; & si intra corpus assumantur, statim Hydrophobiam inferunt. Habent enim Vespertiliones quodammodò canis naturam, capitisque canini formam & dentes caninos; quin etiam exili voce canem latrantem æmulantur.

II. Symptomata & Signa Venenorum Vegetabilium.

ACONITUM, NAPELLUS. 1. 2. AB *Aconito & Napello*, labia & lingva statim inflammantur & vehementer intumescunt, oculi protuberant & corpus universum intumescit, instar hydropicorum, & livido colore defœdatur; deinde animi deliqvium & mors ipsa, nisi tempestivè succurratur, subseqvitur, teste *Fernelio Meth. Med. cap. 18. p. 169. Godefr. Steghio Med. Pract. l. 7. cap. 25. & 26. p. 356. & 357. Jacob. Zigler. de ferm. p. 53. Johann. Jacob. Becher. in Phytholog. p. 524. Tabernæmont. l. 2. cap. 14. p. 308. Benjamin Scharff. p. 52. Andr. Cæsalp. l. 3. cap. 20. p. 176. Heinen de Morb. Astral. pag. 4. Sennerto in init. l. 2. part. 2. cap. 12. de caus. morbor. tot. subst. p. 270. & de Venenis p. 278.*

AGARICUS NIGER. 3. *Agaricus Niger* vitiosus est, intra corpus absque correctione sumptus, habet vim exurendi, ventriculo inimicam, orificiumque lædit; unde nauseam, subversionem & vomitum creat, alvi fluorem & anxietates excitat: Videantur *Sennertus in Instit. l. 5 part. 1. sect. 1. cap. 11. p. 957. Hoffmannus suprà Schröd. l. 4. sect. 3 p. 617. Zwölfferus in Pharm. Reg. p. 159.*

4. *Cata*

4. *Cataputiæ* & Ricini genera, si inconsideratiùs devorantur, gravida inferunt symptomata: ut sunt dysenteria, appetitionis prostratio, ventris cruciatus, animi deliqvium & alia, quæ Tithymalorum species excitare solent, test. *P. Foresto l. 30. de Venenis obs. 10. p. 136. Fernelio Meth. Med. l. 5. cap. 12. p. 115. Amman. de re medic. p. 45. Hoffmanno l. 4. sect. 3. p. 628. Hier. Mercuriali de Venenis l. 1. cap. 13. fol. 17.* **CATAPUTIA.**

5. *Cicutæ* radices, cum herba & semine, venenatæ sunt; hinc si comeduntur, gravissima symptomata inferunt, e. g. vertiginem & oculorum caliginem, insaniam ac furorem, compressionem diaphragmatis, vehementem cutis pruritum & animi anxietatem, uti referunt *P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 10. p. 131. God. Steeghius l. 7. cap. 27. p. 357. Andr. Libavius de Venenis cap. 15. Coroll. 15. p. 374. Hieron. Mercur. de Venenis l. 1. cap. 13. p. 17. & Cap. 16. p. 22. Sennertus in Instit. l. 2. part. 2. cap. 12. p. 278. de Venenis, B. Timæus de Morb. Venen. l. 7. Cas. 4. p. 310. Tabernæmont. l. 2. cap. 65. p. 490. Becherus in Phytol. p. 52. Borellus Cent. 2. obs. 3. p. 111.* **CICUTA.**

6. *Colocynthis* Catharticum violentum est, & si largiùs exhibeatur, sæva infert symptomata. Validissimè enim alvum cum torminibus turbat ac subducit, & ventriculum quàm maximè offendit, cordi quoque & jecori noxam infert, erodit intestina & dysenteriam generat, appetitum etiam prosternit & nauseam infert. Vid. *Fernelius Meth. Med. l. 3. cap. 4. p. 51. & l. 5. cap. 11. p. 114. Forestus l. 30. de Venenis obs. 9. p. 114. Tabernæm. l. 2. cap. 46. Becherus in Phythol. p. 604. Sennertus l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 11. p. 958. de Purgantibus, Zwölfferus Ph. Reg. p. 75.* **COLOCYNTHIS.**

7. *Coriandri* semen viride & non præparatum ipsum quoque inter Venena connumeratur, ita etiam herba & summitates cum succo expresso fœdito ex humiditate & frigiditate odore, capiti sunt inimicissimæ, intra corpus assumptæ, vocem exasperant & rationem perturbant, dicente *Foresto l. 30. de Venenis obs. 10. p. 130. Zwölffero in Anim. p. 410. Hoffmanno super Schröd. l. 4. sect. 1. p. 453. Tabernæmont. l. 1. cap. 7. p. 178.* **CORIANDRUM.**

8. *Croci* excessivè adhibiti symptomata refert *Fernelius l. 5. Meth. Med. cap. 21. p. 130.* & *Borellus Cent. 4. obs. 35. p. 303.* ibidemque dicit, qvòd ex vaporibus illius secuta sit mors. **CROCUS.**

C 9. Cy-

CYCLAMEN.

9. *Cyclaminus* intra corpus, non correcta vel justa mensura assumpta, sæva inducit symptomata: vomitum videlicet & alvi egestionem continuam, suffocationem, eaque omnia ferè excitat, quæ Elleboro albo attribuuntur: Videantur *Forestus l. 30. obs. 9. p. 114. Tabernæmont. l. 2. cap. 33. p. 452. Becherus p. 249.*

ELLEBORUS.

10. 11. *Ellebori Albi* & *Nigri*, sive veratri, species per se, absque præparatione venenatas qualitates habent, & horrenda symptomata excitant; præprimis radix alba ventriculi & alvi violentam commotionem & ingentes suprà infraque furiosas dejectiones ac ventris cruciatus, strangulationem, sive respirationis interceptionem, sudorem frigidum, convulsiones, & postremò mortem infert, nisi maturè succurratur: Legantur de his *Fernelius l. 2. de abd. rer. cap. 2. p. 71. Forestus l. 30. obs. 9. p. 107. usque 113. Timæus l. 7. de Morb. Venen. cas. 6. p. 312. Hoffmannus l. 5. sect. 3. p. 622. Tabernæmont. l. 2. cap. 7. p. 418. & 421. Becherus p. 579. Heine de Morb. Astr. p. 4.*

EUPHORBIUM.

12. *Euphorbium* incorrectum sumptum, totius corporis veluti incendium, intensissimum ardorem & sitim inducit, deinde animi deliqvium, frigidos sudores, dysenteriam & mortem infert: secundum *Hier. Mercur. l. 1. cap. 10. fol. 12. Forestum l. 30. de Venenis obs. 10. p. 118. Fernelium l. 5. Meth. Med. cap. 12. p. 11[illegible] Hoffmannum l. 4. sect. 4. p. 636. Timæum l. 7. de Morb. Venen. cap. 7. p. 313. Tabernæmont. l. 2. p. 405.*

FUNGI VENEN.

13. *Fungi Venenati* per se, vel serpentum, bufonum aliorumque animalium venenatorum halitu, vel salivâ, infecti, seqventia secum ferunt symptomata: veluti vehementem capitis dolorem, oris ventriculi coarctationem, respirandi difficultatem, singultum, frigidum sudorem, anxietates, apoplexiam, paralysin, podagram, dysuriam, ventris & faciei intumescentias, quandoque coli dolores ac postremò suffocationem inferunt: testibus *Platero de funct. læs. de respirat. defectus. cap. 4 p. 425. Foresto l. 10. obs. & curat. de Fungis obs. 116. p. 810. usque 816. Godefr. Steegbio l. 7. de Ven. cap. 39. p. 359. Timæo l. 7. de morbis venen. cas. 4. pag. 31[illegible] Sennerto in Instit. l. 4. part. 1. cap. 3. p. 833. de aliment. facult. Tabernæmont. l. 3. cap. 1. p. 837. Bechero p. 528. Cæsalpino l. 3. [de] Venenis cap. 18. p. 174. Benjamin Scharffio p. 53. cap. 5. Hieron. Mercuriali l. 1. cap. 16. fol. 22. & l. 2. cap. 12. fol. 46.*

14. Hy

14. *Hyoscyami seminis, succi & radicum*, si intrà assumuntur, hæ sunt noxæ: mentem perturbant & tam turbulentos furores inferunt, ut à cacodæmone agitati, aut instar ebriorum continuè rixari ægri videantur; adhæc vertiginem, strangulationemque & difficilem respirationem excitant: assentientibus *Fernelio Meth. Med. l. 5. cap. 17. p. 123. Foresto l. 30. obs. 10. p. 123. Godefred. Steeghio l. 7. Med. Pract. cap. 28. p. 357. Salmuth. Cent. 2. obs. 88. p. 103. Hieron. Merc. l. 1. cap. 13. fol. 17. Hoffmanno l. 4. sect. 1. p. 486. Borello Cent. 4. obs. 45. p. 312. Tabernæmont. l. 2. cap. 4. p. 295. Bechero p. 511.* HYOSCYAMUS.

15. 16. *Juglans* & *Sambucus* Arbores non alio nomine inter venenatas referuntur, quàm si quis sub earum umbra diutiùs versetur, aut qviescat: testantibus *Timæo l. 7. de morbis venen. cas. 8. p. 314. & Tabernæmont. l. 3. cap. 30. p. 698.* JUGLANS & SAMBUCUS.

17. *Laureolæ* folia & semina venenata sunt, vomitoriâ & purgatoriâ facultate prædita, cum exurendi facultate, quæ sæva accidentia, ut Mezereon inferunt, & acerba ventris excitant tormina: vid. *Tabernæmont. l. 3. cap. 90. p. 798. Forestus l. 30. obs. 9. p. 114.* LAUREOLA.

18. *Mandragora* nonnullis à Circe Venefica dicta, intra venenatas plantas refertur: radices vehementer refrigerant, quæ intra corpus assumptæ, aut pomis ejus devoratis, veternum & profundissimum somnum, lethargo similem, inferunt, ac tristitiam & amentiam excitant, ita ut æger ex profundo somno excitatus vociferetur, ac statim iterùm indormiscat: præterea facies intumescit, & oculi prominent, nisi maturè occurratur, in vitæ discrimen æger conjicitur: uti referunt *Hier. Mercur. l. 1. cap. 13. fol. 17. Forestus l. 30. obs. 10. p. 124. Steegbius Med. Pract. l. 7. cap. 29. p. 357. Tabernæmont. l. 2. cap. 9. p. 302. Becherus p. 520. Grembs de Lue ven. l. 2. cap. 5. p. 452. n. 33. Cæsalpinus l. 3. cap. 22. p. 180. Heine de morb. astral. p. 6.* MANDRAGORA.

19. *Mezereonis folia & semen*: cujus vis est ignea acerrima, veneno non carent; assumpta vomitiones & alvi fluorem continuum, ventriculi tormina, angustias & sitim vehementem excitant: testibus *Fernelio in Meth. Med. cap. 12. l. 5. p. 116. Foresto l. 30. de Venenis obs. 9. p. 114. Tabernæmont. l. 3. cap 92. p. 799. Bechero p. 591. Sennerto in Inst. l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 11. p. 961. Schrödero l. 4. p. 245.* MEZEREON.

NUX VO-MICA. 20. *Nuces Vomicæ* venenatæ ſunt & proprietate ſpecificâ & extremâ caliditate, ſi canes & aves aſſumant, non ſolùm eas citiſſimè enecant, verùm etiam hominibus lethales ſunt, periculoſa ſymptomata, vomitionem laborioſam, animi anxietatem & omniũ virium ſubitam proſtrationem excitant, ſecundum *Tabernæmont. l. 3. cap. 14. p. 650. Amman. ad mat. Medic. manud. ſub tit. Nux metel. p. 84. Fernelium l. 30. de Venenis obſ. 10. p. 135.*

OLEANDER. 21. *Oleandri, Nerei* & folia & roſæ ſive flores venenatæ ſunt; excitant enim extremam anguſtiam, alvi intumeſcentiam & totius corporis inflammationem, quin & ejus arboris umbra periculum inducit, teſtibus *Foreſto l. 30. obſ. 10. p. 136. Godefr. Steeghio Med. Pract. l. 7. cap. 35. p. 359. Tabernæmont. l. 3. cap. 83. p. 780. Bechero p. 527.*

OPIUM. 22. *Opii* ſuccus, herbæ ſimilis papaveri, itidem venenis acceſetur. Etenim ſive per ſe, ſive in mixtis & non ritè præparatis medicamentis, imprudentiùs aſſumatur, pernicioſa infert damna: ſtatim ſangvinem & ſpiritus vehementer refrigerat, & ſomnum profundum ac ferè inexcitabilem inducit: quem ungvium lividitas, anhelitus frigidus, maxillæ inferioris laxatio & labiorum intumeſcentia ſubſeqvitur, ac tandem ſingultus, ſudor frigidus & ſomnolenta mors: Legantur de hoc *Salmuth. Cent. 2. obſ. 90. p. 105. Steeghius l. 7. cap. 30. p. 358. Andreas Libavius de Venenis cap. 15. Coroll. 15. p. 374. Fernelius Meth. Med. l. 5. cap. 15. p. 124. Foreſtus l. 9. Obſerv. Med. obſ. 14. p. 99. usque 102. & l. 10. obſ. 6. p. 71. & l. 30. obſ. 10. p. 127. Sennertus in Inſt. l. 2. part. 2. cap. 12. p. 278. de Venen. Hoffmannus l. 4. ſect. 2. p. 592. 593. Tabernæmont. l. 2. cap. 1. p. 290. Möllenbroc. de Varis cap. 14. p. p. 254. Tillingius de Opio cap. 6. p. 83. usque 94. Zwölfferus Ph. Reg. p. 52. usque 55. Amman. in Med. Critic. caſ. & reſp. 62. pag. 315. & in Manud. ad rem med. p. 147. P. Borellus Cent. 4. obſ. 57. p. 318.*

PSYLLIUM. 23. *Pſyllii ſeminis* pulvis intrà aſſumptus, ſuâ ſubſtantiali qualitate & ſummâ caliditate, quæ eſt in medulla ſeminis, ventriculum & inteſtina exulcerat, jecur & ſangvinem inflammat. Cautè autem & mucilago intrà exhiberi debet, aliàs totum corpus refrigerat, mœrorem infert & alvi intumeſcentiam, ſpiritus interceptionem & cordis anxietatem, quam ſudor frigidus cum gelida morte ſubſeqvuntur: Videantur *Sennertus in Inſtit. l. 5. part. 1. ſect. 1.*

cap.

cap. 12. pag. 955. Becherus p. 512. Hoffmannus l. 4. sect. 3. p. 624. Forestus l. 30. obs. 10. p. 131.

RANUNCULUS.

24. *Ranunculorum genera* venenatâ suâ qualitate nervos, potissimùm cerebri & faciei, convellunt & musculos distendunt, morientibusque ridentis effigiem inferunt, exulcerando viscera & nervos, lædunt & memoriam, testibus *Tabernæmont. l. 1. p. 117. Bechero p. 264. Heine de morb. astr. p. 5. Steeghio in Med. Pract. l. 7. cap. 32. p. 358. Foresto l. 30. de Venenis obs. 10. p. 122.*

SCAMMONIUM.

25. *Scammonii* crudi symptomata hæc sunt: Alvi nimirùm immoderatus fluor ac dysenteria; noxam infert cordi, epati, ventriculo & intestinis & universum corpus inflammat, febrim accendit, sitim intolerabilem & animi deliqvium inducit, referentibus *Sennerto l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 12. p. 956. Foresto l. 30. obs. 9. p. 114. Hoffmanno l. 4. sect. 4. p. 638. Tabernæmont. l. 2. cap. 4. p. 584. Bechero p. 589. P. Ammanno in Med. crit. cas. & disc. 62. p. 315. & de re medica p. 143. Fernelio Meth. Med. l. 3. cap. 4. p. 51.*

STAPHYSAGRIA.

26. *Staphysagriæ semina* intra corpus assumpta, eadem excitant symptomata, quæ Anacardi; fauces enim & palatum adurunt, vomitiones movent, ventriculum erodunt, & dysenteriam inferunt, & nisi tempestivè succurratur, strangulant, teste *Fernelio meth. med. l. 5. p. 123. Steeghio l. 7. cap. 55. p. 363.*

TAXUS ARBOR.

27. *Taxi baccæ* rubescentes, devoratæ, ardentem febrim excitant, totum corpus inflammant, & dysenteriam inferunt, sicuti & foliorum pulvis comestus: qvin & sub ejus umbra sedentibus, aut paulò diutiùs degentibus perniciem infert: docente *Fernelio de abd. rer. caus. cap. 14. p. 116. Becherus* ait, de Taxo esse Toxicum, quo Barbari suas sagittas illiniebant, & veneno imbuerunt, *p. 527. Steeghio l. 7. cap. 34. p. 358. Foresto l. 30. obs. 10. p. 132.*

TITHYMALUS seu ESULA.

28. *Tithymali* seu *Esulæ genera* omnia validissimè purgant, & omninò venenata sunt, cum præternaturali caliditate: & si non probè correcta intra corpus assumantur, violentissima excitant symptomata; Ventriculi enim primùm, deinde jecoris temperiem destruunt, & cordis anxietatem excitant, totum corpus inflammant, sitim & singultum inferunt: de quibus legantur *Sennertus in Inst. l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 11. p. 961. Tabernæmont. l. 3. cap. 91. p. 798. Forestus l. 30. obs. 9. p. 115. Heine de morbis astr. p. 5. Fernelius meth. med. cap. 12. p. 115.*

TURPETHUM. 29. *Turbith non correctum* & in majori mensura, quam decet, propinatum, venenum est, & violentissimè alvum ducit & turbat, & nauseam, vomitionemq; laboriosam excitat: asserentibus *Tabernæmont. l.2. cap. 8. p. 627. Heine de morb. astral. p. 5. Semerto l.5. part. 1. sect. 1. cap. 12. p. 957. de Purgantibus, Fernelio meth. med. l. 5. cap. 11. p. 114.*

VISCUS ARBORUM. 30. *Viscus Arborum*, vel potiùs *Acini Visci & eorum succus assumptus*, vertiginem, rationis perturbationem ac continuos flatus ac rugitus alvi infert &c.

III. ex Fossilium generibus.

INter res, quæ ex cavernis montium educuntur, teste *Hieronymo Mercuriali de Venen. differ. l. 1. cap. 13. fol. 17.* venenatæ sunt omnes materiæ, ex quibus metalla & mineralia excoqvuntur, & lapides plerique, sive metallorum lapideæ materiæ, generali vocabulo, Græcis πυρίτης, Germanis Ertz und Kißstein nominatur, & tot sunt pyritum species, quot & metallorum, quæ inter se colore tantùm differunt: utpotè jam Aurei coloris, (Gold-Ertz / Gold-Kiß) jam Argentei, jam ferrei, jam cineritii.

Ex hisce lapideis materiis coqvuntur arte omnia metallorum & mineralium genera: nunquam enim in montibus purum & putum reperitur metallum, excepto Auro, Argento & Mercurio, quorum nonnunquam surculi puri effodiuntur.

Metallorum species nominatim septem sunt: *Aurum*, *Argentum*, *Æs* sive Cuprum, *Stannum*, *Ferrum*, *Plumbum*, *Hydrargyrum* sive Argentum vivum. Ex quibus per præparationem venenatæ fiunt materiæ, sive res, ut ex Auro & Argento *Lithargyrium* & *Lazurum*: ex ære *æs ustum* & *ærugo* sive *æs viride*: ex ferro *sqvamæ*, excrementum ferri, vel *crocus* illegitimè præparatus: ex plumbo, *Cerussa* & *minium*: ex Argento vivo, *Mercurius sublimatus* & *præcipitatus*, & per additionem sulphuris fit *Cinnabrium*. Mineralium primariæ species sunt: *Antimonium*, *Arsenicum*, *Auripigmentum*, *Borax*, *Gypsum*, *Nitrum*, *Sulphur*, *Vitriolum*, *Sal Armoniacum*, *Vitrum ex Cinere*. Lapides venenosi, qui è visceribus terræ eruuntur, sunt: *Lap. Armenus*, *Lazuli*, *Magnes*, *Calaminaris*, *Calx viva ex Lapide calcario*, quibus non immeritò addi possunt *Vapores Venenati* in montium cavernis, specubusque & *Arma Venenata*, quæ varia ac perniciosa inferunt symptomata.

1. *Alumen*

1. *Alumen crudum* intra corpus nemo sine noxa usurpare potest; assumptum hæc infert symptomata: Alvi meatus obstruit atque constringit, ventriculum subvertit & nauseam parit, anxietatem inducit: Videantur *Benjamin Scharffius de Venenis cap. 7. p. 63. de Lap. Amianto, Alum. Plumoso sive Talco, Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 32. p. 190. Fernelius Meth. Med. l. 6. cap. 3. p. 148. Forestus l. 30. de Venenis obs. 8. p. 105.* ALUMEN.

2. *Antimonium* intempestivè, vel non ritè præparatum, intra corpus assumptum, laboriosissimas vomitiones & alvi dejectiones cum summa angustia infert: testibus *Benjamie Scharffio cap. 7. p. 67. Bartholino Cent. 2. Epist. 46. p. 546. Ammanno in Med. critic. cns. & disc. 22. p. 140. F. O. Grembs l. 3. de remed. parac. cap. 3. p. 499. n. 39. Riverio Prax. Med. l. 17. cap. 3. p. 521. de febre tert.* ANTIMONIUM.

3. *Arma venenata*; ut enses & sagittæ veneno imbutæ, non hominum, sed cacodæmonum est inventum: ideò Dioscorides Venenum, quô Barbari suas sagittas illiniebant, generali vocabulo τοξικὸν vocat, & non est viri boni rem universo generi humano exitiosam patefacere, aut edocere. Sunt sanè arma quæque per se noxia generi humano, per abusum v. & veneni infectionem longè efficiuntur perniciosiora: unde accidit, quòd si venenum gladiis & jaculis illiniatur, & iisdem vulnera inferantur, citissimè ad partes principales repat & putrefaciat, ut vel nullam, vel difficillimam admittat curationem, nisi maturè venenum è vulneribus extirpetur, ejusque violentia infringatur, uti testantur *Sennertus in Inst. l. 2. part. 2. cap. 12. p. 280. Delrius in disquisit. mag. l. 3. part. 1. q. 4. sect. 2. p. 61. & l. 3. part. 1. q. 1. p. 4. Bertrucius in Med. Pract. l. 2. tract. 3. fol. 250. Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis cap. 45. p. 213. 216. Gottfrid Welsch de Vulneribus lethal. cap. 16. Forestus l. 30. obs. 11. p. 146.* ARMA VENENATA.

4. 5. *Arsenici, Auripigmenti, Sandaracæ & Realgaris genera* in fodinis reperta, venenatis & urentibus qualitatibus imbuta sunt, eademque inferunt symptomata. Ventriculum enim & intestina cum vehementi cruciatu erodunt, quam erosionem ut plurimùm sequitur dysenteria, interdum etiam spasmus & paralysis; præterea fauces & lingvam arefaciunt, & sitim intolerabilem excitant, quibus accedit & difficultas mejendi cum difficultate respirationis: Videantur *Timæus de morbis ven. l. 7. cas. 11. p. 317. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 28. p. 188. Benjamin Scharffius* ARSENICUM & AURIPIGMENTUM.

cap.

cap. 7. p. 68. Godefr. Steeghius l. 7. cap. 53. p. 363. Hier. Mercurialis l. 2. cap. 9. de Arsenico p. 42. Forestus l. 30. obs. 8. p. 90. usq; 94. P. Amman. med. crit. cas. & disc. 60. p. 306. & cas. 98. p. 482. item in manud. ad mat. med. p. 28. 29. Borellus Cent. 3. obs. 36. p. 225. de Periaptis, item Cent. 4. obs. 19. p. 291. Fr. O. Grembs l. 1. cap. 7. de ortu rerum §. 6. n. 47. p. 55. Salmuth. Cent. 1. obs. 10. p. 7. & Cent. 2. obs. 96. p. 109.

BORAX. 6. *Borax*, si ultra justam mensuram intra corpus ingeratur, symptomata, qualia Nitrum, infert.

CALX VIVA. 7. *Calx viva*, non extincta, ex lapide calcario usto, intra corpus assumpta perniciosa infert symptomata, perinde propè ut Arsenicum, aut Mercurius sublimatus & Cantharides: ut sunt ventris & intestinorum ex erosione cruciatus, faucium & lingvæ ariditas, inexplebilis sitis, tussis, respirationis difficultas, urinæ suppressio & dysenteria: non autem ex assumptione calcis duntaxat talia excitantur symptomata, verùm etiam ex calcis vapore nidoreque per inspirationem intra corpus hausto, assentientibus *Francisco Oswald Grembs l. 2. cap. 5. de Lue ven. p. 451. n. 26. Timæo de morbis venen. l. 7. cas. 13. p. 319. Benjamin Scharffio cap. 7. p. 65. P. Foresto l. 30. obs. 8. p. 93. 94. Borello Cent. 4. obs. 30. p. 299. Andrea Cæsalpino l. 3. cap. 29. p. 189.*

CERUSSA, MINIUM & PLUMBUM USTUM. 8. 9. 10. *Cerussa, Minium & Plumbum ustum*, materiæ venenatæ sunt, intra corpus assumptæ inferunt symptomata Lithargyrii: nempe singultum, faucium & lingvæ ariditatem, anhelitus difficultatem, præcordiorum tumorem, strangulationem, artuum frigiditatem, totius corporis torporem, mentis commotionem: vide *Godefr. Steeghium Med. Pract. l. 7. cap. 56. p. 363. Fr. O. Grembs l. 1. cap. 7. S. 5. p. 46. n. 14. Timæum l. 7. cas. 10. p. 316. Forestum l. 30. obs. 8. p. 105. Borellum Cent. 4. obs. 32. pag. 300. Sennertum l. 2. part. 2. cap. 8. p. 247.*

CINABRIUM. 11. *Cinabrium.* Etsi ejusdem fumus acerbissimos dolores partium sedet, atque ulcera consolidet, attamen crudè assumptum acerbiora infert symptomata, quemadmodum de mercurio vivo inferiùs dicemus. Videantur *P. Forestus l. 30. obs. 8. pag. 102. Hoffmannus l. 3. cap. 15. p. 292.*

ÆRUGO. 12. 13. *Æris usti & Æruginis* intra corpus assumptionem seqvuntur Ventriculi subversiones, concoctionis debilitates & cruciatus intestinorum; ærugo enim statim per se guttur constringit

& ar-

& arterias pulmonum obstruit, vias respirationis intercipit, violenter suffocat & extingvit, docente *Godefr. Steeghio l. 7. cap. 53. p. 363. Benjamin Scharffio cap. 7. p. 66. F. O. Grembs l. 1. cap. 8. §. 1. p. 48. n. 41. & l. 2. cap. 5. p. 451. n. 26. Fernelio Meth. Med. cap. 16. p. 168. Foresto l. 30. obs. 8. p. 82. usque 104.*

14. *Ferri sqvamæ, ferrugo*, vel *rubigo ferri*, si non ritè præparantur, aut ultra justam mensuram exhibentur, hæc inferunt symptomata: Intestinorum cruciatus, ariditatem lingvæ, siccitatem corporis & continuum capitis dolorem, teste *Bertruc. in Med. Pract. l. 2. tract. 3. fol. 247. P. Foresto l. 30. obs. 8. p. 104.* **FERRI SQVAMÆ.**

15. *Gypsum intra corpus sumptum*, venenatâ suâ proprietate noxium est, & periculosa excitat symptomata: Tusses vehementes, singultum, rationis perturbationem, ac postremò, uti *Dioscorides & alii* docent, strangulando jugulat, constringendo meatus respirationis; *vid. Hier. Mercur. l. 1. cap. 16. fol. 22. Libavius in tract. de Venenis p. 358. Forestus l. 30. obs. 8. p. 95. Steeghius l. 7. cap. 56. p. 363.* **GYPSUM.**

16. *Halitus Venenati*, vel vapores in montium cavernis & specubus, ita etiam Fumi virulenti carbonum, testantibus *Hieron. Mercuriali l. 1. cap. 13. fol. 17. Hildano Centur. 4. obs. 11. Josepho Quercet. in Tetrade affect. capitis, cap. 11. p. 120. & 125. Benjamin Scharffio cap. 4. p. 50.* vel cadaverum in terra putrefactorum, vel ab animalium, felium & aliorum urina & excrementis provenientes, per aëris impuritatem sive exhalationibus fœtidis, oleaginosis, candelis sebaceis extinctis & naribus attracti, capiti & cordi communicati; inferunt respirationis difficultatem, nervorum convulsiones, lipothymias, dolores capitis, syncopes, anxietates, Epilepsiam, Apoplexiam & strangulationem, catarrhos, febres, scabiem & totius corporis intumescentiam, quin & mortem sæpè, notante *J. Marquardo in Praxi l. 1. p. 2. de dolor. capitis, Hildano Cent. 4. obs. 11. P. Ammanno in Med. Crit. cas. & disc. 59. p. 303. P. Foresto l. 28. obs. & curat. obs. 66. p. 452.* **HALITUS VENENATI.**

17. *Lapis Armenus* non præparatus intra corpus assumptus, eadem infert symptomata, quæ Lap. Lazuli & iisdem curari potest remediis. *Vid. Sennertus l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 11. p. 959.* **LAP. ARMENUS.**

18. *L. Calaminaris*, *Cadmia metallica*, sive *Cobaltum*, vi causticâ & erodendi pollet tantâ, ut fossorum manus & pedes exulceret; adeoque inter venena recensetur; quippe ubi intùs ad- **CADMIA METALLICA.**

mittitur, animalia quæque perimit: *Vid. Schröderus l. 3. cap. 18. p. 455. Hoffmannus h. l. ad eundem p. 328. Benjamin Scharffius cap. 7. p. 68. Ammannus in manud. ad mater. medic. p. 30.*

19. *Lap. Lazuli crudus*, virtute Antimonii præditus, non elotus & incorrectus intra corpus assumptus, infert cruciatum & subversionem ventriculi & tormina intestinorum, anxietatem & vomitionem, & sinistri hypochondrii dolorem; erodit quoque & putrefacit suâ proprietate, teste *Hoffmanno l. 3. cap. 8. pag. 180. Sennerto l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 11. p. 960. Foresto l. 9. obs. 23. p. 150. & lib. 30. obs. 8. p. 106.*

20. *Lap. Magnes crudus*, assumptus intrà, rationem perturbat & Melancholiam sive insaniam excitat. Hinc *Schröderus l. 3. cap. 8. p. 354.* Rarioris, inquit, usus est Lap. Magnes. *Vid. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 8 p. 106.*

21. 22. *Lazurini*, sive *Lasurini*, cœrulei coloris amœnissimi, ex argento, pictoribus gratissimi Lasurblau / & Lithargyrii auri & argenti spumæ, intromissio concitat erosiones ventriculi & intestinorum; calorem nativum extingvit, sangvinem in venis & arteriis condensat, nervos debilitat, respirationisque difficultatem infert & totum corpus colore livido tingit: vid. *Benjamin Scharffius de Venenis Miner. cap. 7. p. 66. & P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 8. p. 97.*

23. 24. 25. *Mercurius præcipitatus, sublimatus & vivus.* Præcipitatus præcipitat in mortem, nisi periti Chymici manu ritè præparatus, secundum *Bartholinum Cent. 4. Epist. 17. p. 74.* cautè adhibendus est, & *Hoffmannus l. 3. cap. 15. p. 259.* haud abs re monet: Si quis in sangvine humano, ut observationes proprias habui, Mercurius vivus fuit repertus, ortum suum debuit mercurialibus medicamentis tam internis, quàm externis minùs ritè præparatis & administratis; nam si non satis probè sit præparatus, aut non justâ mensurâ exhibeatur, symptomata infert mercurii sublimati, potissimùm autem putridæ salivæ ex ore continuam effluxionem & dentium vacillationem membrorumque tremorem. Vid. *Schröderus l. 3. cap. 15. p. 398. Hier. Mercurialis de Venenis l. 1. cap. 13. fol. 17. Fernelius de Lue Vener. curat. cap. 7. p. 256. Benjamin Scharffius de Venenis mineral. cap. 7. p. 66. P. Poterius l. 2. p. 441. usque 449. L. Riverius Prax. Med. l. 1. cap. 5. p. 207. de Paralysi & cap. 10. p. 220. de Tremore, item l. 10. cap. 9.*

p. 372.

p. 372. P. Forestus l. 8. obs. 5. p. 18. Sublimatus verò causticæ & instar ignis adurentis est naturæ, adeò ut suo contactu, sive foris applicetur corpori, sive intra corpus sumatur, non tantum partes omnes usque ad ossa adurat, corrumpat & putrefaciat, sed & ferro cum aliquo liquore illitus, illud erodat & absumat. Est itaque argentum vivum sublimatumque omnium venenorum penetrantissimum, perniciosissimum & cumprimis immedicabile: intra corpus autem, vel tantillum ejus assumptum, statim ventriculi & intestinorum tunicas erodit & corrumpit, inflamationem, intumescentiamque lingvæ & faucium infert, ac paulò pòst cruoris per alvum effusionem, pòst miseram mortem inducit. Legantur de hoc *Fr. O. Grembs l. 2. cap. 5. de Lue vener. p. 451. n. 26. Libavius de Venenis p. 372. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 2. p. 19. & obs. 8. p. 102.* Mercurius Vivus extrà in ungventis contra scabiem in nimiâ quantitate applicatus, cum salivatione oris sæpè putredinem inducit, similiter de præcipitato intelligendum est. Cavendumq; omninò est Medico, ne viribus resolutis hisce ex Mercurio remediis utatur, sed iisdem consistentibus adhuc inque corporibus robustis: vid. *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 26. p. 186. P. Borellus Cent. 2. obs. 92. p. 187. Timæus in Responsis, resp. 43. p. 106. J. Marquardus in Praxi de Morbo Gallico cap. 8. p. 459. usque 465.*

26. *Nitri*, sive Salispetræ, symptomata sunt, si intra corpus ultra modum assumatur, ventriculi subversio, nausea & continua instar aluminis expuitio, cupidinis item venereæ extinctio, attestante *Timæo lib. 3. cas. ult.* Lixivium verò ex Nitri crystallis, horrores, frigidos sudores & animi deliqvium excitat, observ. habet *Timæus de Morbis ven. l. 7. cas. 9. p. 315.* Chymici Salem Nitri ad destillationem aquæ fortis utuntur, quæ perniciosa & immedicabilia symptomata, incautè assumpta, sicut de mercurio sublimato commemorata sunt, infert: Legantur *Fr. O. Grembs l. 2. cap. 5. de Lue Ven. p. 451. n. 26. Andreas Libavius in tract. de Venenis cap. 15. Corollar. 5. p. 369. P. Borellus Cent. 4. obs. 28 p. 298.* NITRUM.

27. *Sal Armoniacum*, si nimiâ dosi intra corpus ingeratur, excitat symptomata similia Mercurio sublimato, aut Arsenico: Ventriculum enim & intestina exurit, lingvam arefacit & fauces exulcerat, sitimque vehementem inducit. SAL ARMONIACUM.

 28. *Sul-*

SULPHUR CRUDUM. 28. *Sulphur crudum* & non à minera purgatũ, aut ultra mensuram intra corpus sumptum, suâ extremâ siccitate epar & ventriculum torrefacit, lingvæ ariditatem infert, ac postremò totum corpus in marcorem conjicit: *F. O. Grembs l. 1. cap. 6. p. 55. n. 52.*

VITRIOLUM. 29. *Vitriolum* crudum, aut perperàm præparatum & assumptum, nauseam & vomitionem excitat, &, si non statim per vomitum ejiciatur, tandem & ventriculum erodit & intestina excruciat, teste *Foresto l. 30. obs. 8. p. 103.* item dysenteriam excitat, sitimque intolerabilem & mortem infert; exemplum habet allegatus *Forestus l. 3. de Febrib. obs. 4. p. 150.* de Monacho, qui, cum puellam deperiret, se ipsum vitriolo assumpto necavit. Spiritus acidus (sive oleum corrosivum) ex vitriolo destillatus, etiam cautè adhibendus est; nam si non probè & ritè præparatus & rectificatus sit, facilè interna viscera inflamat, & perniciem infert, ita etiam in excedente dosi & absq; habita virium ratione & ubi corpore non priùs purgato usurpatur, maximum damnum infert, observat. habet *Timæus l. 7. de morbis ven. cas. 12. p. 318.* Atramentum ex vitriolo paratum epotum in *Obs. Medic. Borellus obs. 4. cent. 4. p. 306.* habet.

VITRUM. 30. *Vitri* assumpti symptomata similia sunt symptomatibus Arsenici & Calcis Vivæ; erodit enim cum cruciatu internam tunicam ventriculi & intestinorum, & dysenteriam adfert.

CAPUT VI.

ALEXIPHARMACA eruit, Auxilia è fonte pharmaceutico per tria genera, ex Regno Animali, Vegetabili & Minerali petenda producit, & Curationem morborum à Veneno ortorum tam in genere, quàm in specie promittit.

VEnenum debellantia, expugnantia seu Alexipharmaca occultâ suâ qvalitate Veneno resistunt, dicuntur etiam Antidota, Alexiteria, Alexicaca, Bezoardica, secundum *Hoffmannum l. 1. cap. 3. p. 4.* Distinctio inter Alexipharmaca & Alexiteria cum *Clarissimo Sennerto in Inst. l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 21. p. 968.* nobis erit observanda, quòd nimirùm illa sint contra deleteria & ore sumpta Venena, hæc verò contra bestiarum ictus & venena.

Alexipharmacum est *propriè*, vel *impropriè* dictum. Propriè dictum est, quod totius substantiæ contrarietate in Venenum agit;

agit; Improprie verò, quod substantiæ similitudine venenatas qualitates attrahit. Consistit autem hujus substantiæ similitudo, vel in simili veneno aliud attrahente: vel in alia substantia veneno adhærente ac familiari; ob id contraria dicuntur esse. Venenum namque principio nostro Vitali inimicum est, in quod tendit, ut illud corrumpat atque destruat: Alexipharmacum autem vi suâ arcanâ veneno resistit, substantiam verò corporis nostri, & præcipuè vitale principium, roborat, munit & efficacissimè tuetur, ne venenis & deleteriis offendatur & succumbat.

Ex parte interim conveniunt Alexipharmacum ac Venenum, quia actio utrorumq; à proprietate occultâ progreditur, & utrumque COR petit.

Actio Alexipharmaci est duplex, & in *Corpus*, & in *Venenum*. In *Corpus* qvalitatem sibi similem atque robur inducit, ut enim minima veneni lethalis, seu δηλητηρίε, particula, quamprimùm in animalis corpus ingressa fuerit, totum id immutat & sibi simili affectione alterat; ita alexiterium firmat naturales corporis qvalitates, & roborat præsertim spiritus vitales, ut sufficientes postea sint Venenorum impetui & insultui, & hanc actionem cum puris cordialibus communem habent. In *Venenum* verò operatur illud expugnando. Totius enim substantiæ contrarietate, accedente naturæ adjumento, contra Venenum insurgit, id obtundit, & tandem debellat, quæ est propria Alexipharmacorum actio.

Et hæc Alexipharmaca magnâ ex parte qualitates quoque manifestas nimiùm exuberantes habent: unde actio tantò vehementior existit, & corpus nonnunquam læditur. Eoque citra necessitatem ipsis non est utendum: quia non præsente contrario, in quod agant, ut omne medicamentum, Naturam molestant affliguntque; quod etiam in puris Cordialibus, si nimiâ quantitate sumantur, videre est.

De similitudine substantiæ considerandum est, si priori modo intelligatur; Venenum unum alterius potest esse Alexipharmacum; quod patet in Mercurio appenso, in Zenexto ex Arsenico &c. Nam teste *F. O. Grembs l. 1. cap. 7. de ortu rerum §. 4. p. 42. n. 10.* metalla aperta in salis naturam conversa, retinent sua semina in gradum exaltata, & fiunt Amuleta in peste &c. Sic enim venenum pestis, sive in corpore, sive in aëre existat, ab alio attrahitur atque hoc modo extrà applicatur. Si altero modo consíde-

ſideratur: Venenatum quodcunque ſuam habet apud ſe vim alexipharmacam. Ea de cauſa ſcorpius contritus & puncturæ ſuæ appoſitus extrahit proprium venenum, quia in carne ejus eſt vis alexipharmaca & naturalis attractiva, quam etiam deponit in oleum ejus: Vid. *Bertruc. in Med. Pract. tract. 3. l. 2. p. 251.* Sic caro viperæ applicatur morſui ejus, vel potiùs caput contuſum, teſte *Bald. Angel. Abb. de viper. natur. p. 3. 28. 36. & 45.* Pili canis rabidi impoſiti, aut epar ejus eſui datum, curant morſum venenatum canis rabidi, teſte *F. Platero in Tract. de function. læſion. cap. 3. de Ment. Alienat. p. 129. & 131.* Hinc fit, ut quodlibet ferè (ſubjectivè dictum) venenum tranſire poſſit in præſtantiſſimum Alexipharmacum: dum ſcil. ſubſtantia venenata, quæ plerumque volatilior, à corpore id continente ſeparatur, ut tantummodo remaneat ſubſtantia veneno familiarior & fixior. Sic ex Arſenico, Auripigmento &c. volatiliore parte ablatâ, Bezoardica præſtantiſſima contra peſtem & multa venena præparantur, tutòque etiam adhibentur: & quia omne venenum, ſive ſub cibi, potus, vel remedii forma, ſive per reſpirationem intra corpus ſit aſſumptum, ſive per contactum, ictum morſumq; ſit conceptum, celerrimè ad COR perreptat, nullæ ſunt induciæ dandæ, ſed ſtatim ſine mora, cognitâ infectione ex ſymptomatibus; vel etiam, ſi tantùm ſuſpicio venenatæ infectionis adſit, ſolers curatio adhibenda eſt, & ad Alexipharmaca confugiendum.

Curatio autem omnium Venenorum ſecundum *Godefr. Steeghium l. 7. de venen. general. curat. cap. 24. p. 355.* & *Foreſtum l. 30. de Venen. obſ. & Schol. 5. p. 58. usque 68.* poſt cognitionem, in genere conſiſtit in veneni evacuatione, ſive expulſione, hinc in venenatæ qualitatis violentiæque veneni extinctione, adhæc in cordis ſpirituumque vitalium & virium corroboratione, deniq; in læſarum partium reſtauratione & perſanatione.

Unde ſtatim in initio, antequam ſpiritus vitales proſternantur, omne venenum expulſioni aptum evacuari debet, aut per vomitum, aut per ſudorem, aut per alvi ſubductionem, per oleoſa ſive pingvia alia, ut rectè docet *P. Foreſtus l. 30. de Venenis obſ. & Schol. 4. p. 47.* Cognitâ itaque naturâ ac proprietate concepti veneni, & quo in loco corporis illud hæreat, utpotè ſi in ventriculo conſiſtit, id quod ex dolore, tumore & corroſione ventriculi deprehendere licebit, protinùs vomitio iterum atq; iterum eſt molienda, donec omne venenum probè ſit evacuatum. Sunt

Sunt autem Alexipharmaca *Generalia* & *Specialia*. *Generalia* sunt, quæ omnibus Venenis adversantur, & COR spiritusque vitales ita roborant, ne Venenum facilè admittant, admissum verò exterminant &c. imprimis in peste, febribus pestilentialibus atque malignis, &, ubi speciale venenum non innotescit, locum habent.

Est verò eadem generalis Venenorum omnium medicatio iterùm duplex: 1. quidem *prævisiva*, vel *præservativa*, de qua legatur *Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis cap. 8. pag. 159.* antequam venenum præsens noceat corpori humano. Alia verò *sanativa*, seu *Curatio ipsa*, ubi nempe veneni impressio facta est. Medicatio præservativa est; ut qui timorem habuerit assumptæ rei venenosæ: velut Principes & Magnates, secundum consilium *P. Foresti*, non sumat cibos, neque potus, neque medicinas, nisi à persona sibi confidenter nota, & quæ hujusmodi alimenta coram eo prægustârit. Caveant prætereà à cibis & potibus habentibus saporem excellentem, utpotè dulcedinem, vel acetositatem, aut unctiositatem vehementem: quoniam, ut referunt *Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis cap. 8. p. 159. & 160.* & *Hieron. Merc. de Venenis cap. 17. fol. 24.* in hujusmodi virtus venenorum magis occultari solet: eapropter abstinendum erit ab intinctu, ab artocreate, à tortis, ab omni pultis genere, & potiùs utendum erit carnibus assis, quàm elixis, quandoquidem difficilliùs veneno carnes assæ afficiuntur, eò quòd, ubi igne torrentur, consumuntur venena. Aqua usualis & potulenta quæque solicitè custodiantur, ne venenosis ab animalculis quoquo modo inficiantur. Veterum ex consilio quâvis septimanâ bis, vel ter, sumitur drachma dimidia Theriacæ optimæ, vel secundum Hodiernos pulvis Viperinus verus, cujus veram præparationem habet *Zwelfferus Animadv. in Pharm. August. p. 212.* cum vino, vel aqua frigida, prout videtur: aliis cibis superaddantur nuces, ficus & ruta, ut quæ suâ proprietate resistunt veneno, *teste Hieron. Mercur. l. 1. cap. 18. fol. 25.* ubi etiam poma citria & cydonia commendat, adeò ut si in cibo assumantur, virtus veneni reprimatur, aut expellatur per vomitum: ut ait *Galenus lib. de simplic. medicinis*, & *Rasis in Almansor. l. 1. cap. de summ. medic. venen.* Idem operatur butyrum recens sumptum in cibo super bucella panis.

Cura sanativa est, si quid veneni ullo casu assumptum sit, ita ut illicò hinc sentiantur mutationes non consvetæ, protinus

adhi-

adhibeatur vomitorium lene, v. c. detur aqua copiosior tepida mixta cum oleo & aceto, donec ex ea stomachus repleatur; & provocetur vomitus cum digito, vel penna inuncta oleo, missa in profundum gulæ: quòd si vomitus tardaverit, repleatur oleribus & piscibus salitis, & bibat desuper usq; ad nauseam. Vel quâvis aliâ ejusmodi ratione provocetur vomitio: *vide Andr. Cæsalpinum l. 3. de venen. curat. l. 9. p. 161. Forestum l. 30. de Venenis obs. 4. p. 43. Fernelium de abd. rerum caus. l. 2. cap. 19. p. 141.* Quandoque convenit etiam aqua benedicta ex infus. vitri antimonii, cum vino, aut similibus.

Post hæc considerandum erit, si patiens in ventre sentiat æstum, adhibeatur suppositorium cum sale gemmæ, vel clyster ex decocto alexipharmaco cum oleis convenientibus, *secundum Andr. Cæsalpinum l. 3. cap. 9. p.* 161. *& Fernelium l. 2. de abd. rerum caus. cap. 19. p.* 141. prohibeatur insuper à somno, quoad fieri potest, ne fortè Venenum ad interiora rapiatur: dentur præterea ægroto confectiones frigidæ & cordiales, deinde verò medicamenta Bezoardica, id est, liberantia à veneno, ut Theriaca, Mithrid. Lap. Bezoar, *teste Hieron. Mercur. l. 1. cap. 18. p. 25.* pulver. viperin. bezoard. dissolut. in aqua frigida, vel vino, aut aceto, ut virtus veneni diminuatur, & Natura roboretur. Quòd si sitis & calor superet, bibat æger aquam frigidam puram, vel mixtam cum aqua rosarum & aceto, quantum voluerit, vel sumat lac acetosum, quoniam acredinem Veneni reprimit excellenter. Et si virtus constiterit, evacuetur alternatim æger cum lenitivis ex cassia, vel prunis. Loco dolenti adhibeantur cataplasmata è sempervivo, solano & Nymph. floribus, pectus autem & præcordia Epithematibus cordialibus corroborentur.

Quoad diætam, bibat vinum optimum vel per se, vel cum aquis cordialibus mixtum, donec ad perfectam redierit patiens sanitatem.

Cura morsus, vel puncturæ, ex animalibus venenosis, vel puncturis, vel sagittis toxicatis est, *docente Godofr. Steegbio Med. Pract. l. 7. cap.* 11. *p.* 351. *Fernelio l. 2 de abd. rerum caus. cap. 19. p.* 141. *Foresto l.* 10. *Curat. obs.* 119. *p.* 821. ut statim à principio & quidem ante triduum stringatur membrum ligaturâ forti supra locum læsum: ne virtus venenosa transeat in corpus, & ponatur super locum ventosa lata cum stupa ignita, donec attrahet vehemen-

menter &, si ex re videatur, fiat scarificatio, uti censent *Fernelius de abd. rerum caus. l. 2. cap. 19. p. 141. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 198.*

Circumquaque deinde secundum *Fernelium* ponantur super locum pulli vivi dissecti per medium, quia membrum fortificant, & venenum ad se trahunt, posteà emplastretur rubificantibus, factis ex stercoribus columbarum, ficubus, sinapi & cepis crudis incorporatis & actu calidis, positis super locum &c. *Vid. Fernelius l. 2. cap. 19. p. 141. de abd. rerum caus.*

Generalia Alexipharmaca verò sunt, quæ non certo alicui, sed cuique veneno adversantur; eaque secundum suprà propositum *Triplex genus*, utpotè Vegetabilium, Animalium, vel Mineralium. Sunt autem adversum quæque ejusmodi auxilio efficaci hæc potissimùm Triginta:

1. Aceta Bezoardica probatorum Autorum com̃. *Gieswein. Hodeco Medic. p. 183.*
2. Antidotum Matthioli sec. *Zwelff. in Animadv. p. 244.*
3. Antimonium diaphoret. ritè præparatum com̃. *Hoffman. l. 3. cap. 17. p. 306. & Joh. Phil. Gieswein. p. 184.*
4. Aquæ alexipharm. probat. Autor. *Giesw. p. 184.*
5. Arcanum Theophrasti de cyconia com̃. *Crollius p. 351. & Joh. Heine de Morbis Astral. p. 39.*
6. Bezoard. Animale { com̃. *Gieswein. p. 184.*
7. Joviale { com̃. *Laurent.* Blumentrost *in Pharm.*
8. Minerale s. { *Domest. p. 52.*
9. Solare { *dict. Gieswein. p. 184.*
10. Citri & Cydonia mala & eorum succus com̃endantur *Hoffman. supra Schröd. p. 445. Fernel. l. 5. Meth. Med. cap. 11. p. 129. Hier. Mercur. l. 1. cap. 18. fol. 25. Gieswein. p. 187.*
11. 12. Elect. Camphorat. Kegleri & de Ovo Maximil. com̃. *Gieswein. p. 185.*
13. Essentia alexipharm. viperar. *Zwelffer. p. 214. & in App. p. 30.*
14. Essentia alexipharmac. mea.
15. Extractum alexipharm. meum.
16. Lap. Bezoar per se: com̃. à *Hier. Merc. l. 1. de Venenis cap. 18. fol. 25. F. O. Grembs l. 1. cap. 7. §. 7. p. 60. n. 32. P. Forestus in Obs. Med.*
17. Magisterium Cordiale Dn. D. Michaëlis.

18. Magisterium ex spinis viperarum.
19. Mithridatium optimum, com̃. *Hier. Merc. l. 1. fol. 25.*
20. Mixtura de tribus Paracelsi, com̃. *Gieswein. p. 186.*
21. 22. 23. Oleum Angelicæ destill. Hyperic. coctum & Scorpionum, comm. *Gieswein. cit. ibidem.*
24. Pulv. Viperinus Alexiph. *Zwelff. in Animadv. p. 212. & 213.*
25. Pulv. Bezoardici probat. Autorum, & primariò quem describit *F. O. Grembs l. 1. cap. 8. §. 7. p. 58. n. 15. de ortu rerum.*
26. Sal viperinum Zwelfferi *p. 275.*
27. Tinctura Bezoardica Dn. D. Michaëlis, com̃. *Godfr. Schulzius de Nat. Tinct. Bezoard. p. 87. ex lit. D. D. Ammanni, item p. 96. 105. 123.*
28. Theriaca de Mumia Crollii.
29. Theriaca Andromach. comm. à *Hier. Merc. p. 25.*
30. Trochisci Viperini Zwelfferi *in Phar. Reg. p. 133.*

GENUS I. ANIMALIUM.

Specialia porrò Antidota, sive Alexiteria, quæ certo cuidam Veneno, & quidem è genere primùm & Regno Animali, curando adversantur, sunt seqventia, itidem Triginta.

APES, CRABRONES, VESPÆ.

1. 2. 3. Contra *Apum, Crabronum* & *Vesparum* ictus in genere videatur *Joh. Phil. Gieswein, Hodec. Med. p. 191. & 194.* In specie verò ex usu hîc est, si statim aculeus in vulnere hærens artificiosè vel ungvibus, vel acu extrahatur, atque, si fieri non qveat, locus punctus fomentetur & irrigetur aqva calida salsa, ultimò, &, si dolor non cessat, insecta hujus generis, capta & contusa, cataplasmatis modô icto loco imponantur: item cataplasma ex stercore bubulo cum aceto temperatum: item camphora cum oleo rosarum; cujusmodi curationem habet *Timæus l. 7. de morbis venen. cas. 17. p. 322.*

ARANEÆ, PHALANGIÆ.

4. 5. 6. *Aranearum, Phalangiarum* & aliorum ejusmodi puncturis & venenis in genere resistunt, Abrotanum, allium, anisum, cæpæ, sem. nigellæ, apii, asa fœdita, hypericon, melissa, origanum, loco Antidoti Theriaca cum haustulo aquæ carduibenedict. scordii, aut vini, sudorque internè per Alexipharmaca proliciatur, externè oleo hypericonis cum Theriaca mixtum locus inungatur, & dolor mitigetur, etiam balneis ex cineribus fraxini. Post sudoris profusionem abstergendo & emplastris aptis curatio perficitur: Vid. *Joh. Phil. Gieswein p. 169. Andreas Cæsalpinus l. 3. de*

Ven-

Venenis cap. 37. p. 198. & cap. 38. p. 199. usque 201. Godefredus Steegbius l. 7. cap. 28. p. 354. P. Forestus l. 30. obs. 12. pag. 154. 155. Joh. Quercet. in Tetra p. 155.

7. *Basilisci*, quasi Regis Virulentorum, serpentis monstrosi, vaporibus ex specubus, ubi latent, ortis, ad sententiam *Erasistrati, Gieswreins p. 192. Bertrucii in Med. Pract. tr. 3. l. 2. pag. 251. Foresti l. 30. obs. 12. p. 181.* symptomatibus succurrit Castoreum cum vino epotum, item succus & herba rutæ. De definitione Basilisci videatur *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 45. p. 215. item Godefr. Steegius* ejus symptomata *l. 7. p. 339.* curat, ut in peste. BASILISCUS

8. 9. Antidota adversus venena *Bufonis, Rubetæ*, laudantur lap. Bufonis per se, vel cum unicornu minerali & lapide Smaragdi mixtus & vino adhibitus: præprimis vomitio excitetur, sudorque proliciatur per Extracta Theriacalia & alia Bezoardica: posteà oleum Vitrioli, vel Angelicæ, in vino propinetur; *Externè* verò ol. Scorpionum cum tantillo oleo Vitrioli mixt. corpus tumens inungatur. Curationem cujusdam Circumforanei habet *Bald. Timæus l. 7. de morbis venen. cas. 16. p. 321.* Legantur etiam *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 13. p. 170. Oswald Grembs l. 2. cap. 5. de Lue ven. p. 451. n. 30. Forestus l. 30. de Venenis obs. 6. p. 73. Steeghius l. 7. cap. 43. p. 360.* BUFO, RUBETA.

10. 11. 12. *Buprestium* assumptarum curatio, etiam *Erucarum* & *Papilionum*, per omnia ferè similis est curationi Cantharidum: videlicet evacuatione per vomitum & alvi subductionem cum clysteribus. Antidota eorum sunt lac muliebre, decoctum ficuum, item dactylorum, terra Lemnia, corallia rubra cum mucilagine sem. cydonior. Foris ex usu est inunctio cum oleo cydoniorum: de quibus *Steegbius l. cap. 52. p. 363.* & *Joh. Phil. Gieswrein pag.* 192. & 194. BUPRESTES, ERUCÆ & PAPILIONES.

13. 14. *Canis* & *Lupi rabiosi* morsus. Si quis à Cane, vel Lupo rabido morsus sit, non solùm vulnus curandum est, sed & venenum extrahendum, primùm cucurbitulis, & scarificatione, imò & carnis extirpatione. Alexiteria & Antidota sumenda, &, pro loci ratione, mare adeundum, quod quâdam mirâ proprietate & specificâ ad id valeat, & alia remedia solita adhibenda, nec vulnus, parvum licet, negligendum erit, ne posteà successu annorum, corporis temperamentô mutatò, venenum dènuò serpere incipiat, ut ait *Fernelius l. 2. de abd. rerum caus. cap. 8. p.* 118. Est CANIS & LUPUS RABIOSUS.

enim ibi ut inimicus insidiosus, occasionis capillos arripiens, cum ei arridet. Submersio ter quatervè in aquam frigidam, etiam ut postea patiens usque ad nauseam cogatur aqvam bibere, ceu præsentissimum remedium adversus futuram hydrophobiam, non immeritò à Practicis summè commendatur, præterea vulnus inflictum candenti aurô inuratur & urendo, vel scalpello incidatur, atque amplificetur, jubente *Fernelio l. 2. de abd. rerum caus. cap. 19. p. 141.* caroque adjacens scarificetur, & sangvis ex vulnere digitis exprimatur. Et quia vix aliud genus vulneris suâ sponte citiùs coit, ac consolidatur, quàm quod à rabiosis animalibus inflictum, accuratè cavendum est, ne vulnus ante tres, vel plures, menses coalescat; eâque fini vulneri quotidiè frustulum radicis Gentianæ turundæ in modum inseratur: ut quæ secundum *Hoffmannum* per se alexipharmacæ est virtutis, *l. 4. sect. 1. §. 69. p. 480.* vel ad mentionem *P. Forestii l. 10. Curat. & Obs. p. 484.* Emplastrum attractivum superinsperso mercurio præcipit. adhibeatur. Et quia omne virus à centro ad superficiem elici debet, ejusmodi Emplastrum quotidiè bis renovandum, & vulnus cum pueri, vel hominis alterius sani urina semper eluendum erit. Cataplasmata conveniunt ex allio, cæpis, porro, scordio, centaurio cum butyro, sale & melle: testantibus *Bald. Timæo Epistol. l. 5. epist. 17. p. 375. J. Marquard. l. 2. de ulcer. p. 428. Fernelio l. 2. de abd. rer. caus. cap. 19. p. 141. Platero tract. de funct. læsion. cap. 3. de Mentis Alienat. p. 128.* ut quæ habito respectu læsæ partis & justo tempore applicata, maximè utilia sunt. Porrò ubi canis rabidus citra morsum solâ contagiosâ salivâ nudam cutem contaminavit (cujus est tanta & tàm venenata violentia ac penetrandi facultas, ut per poros cutis citissimè & sangvinem & spiritus vitales inficiat) & ipsa prædicta inferat symptomata. His statim occurritur, si locus salivâ rabiosâ contaminatus salsugine ex sale marino, vel aqua alia salsa diu multumque fricetur & abluatur. Ita etiam test. *F. O. Grembs l. 2. cap. 1. §. 4. p. 190. n. 41.* ad morsum canis, vel lupi rabidi ligant Practici halecem salsum. Interim dùm hæc externè aguntur, nec interna remedia veneni rabici adversantia negligenda erunt; nempe Bezoardica, Alexiteria, diuretica simul. Peculiariter autem usurpatur oleum de Myrrha drachm. dimid. aut succini albi scrup. I. cum vino mixta &c.

15. Cu-

15. Curatio *Cantharidum* consistit in cita evacuatione per vomitum, assumptâ priùs aquâ tepidâ. Antidota sunt semen Ammi bac. Alkakengi, butyrum recens cum mucilagine sem. cydon., præterea lac caprillum, jusculа pingvia & carnes pingves, quales sunt porcinæ, in potu usurpetur lac ex Amygdalis & nucleis pinearum, semine papav. albi cum aqua appropriata. Prosunt item Clysteres emollientes: Videantur *Steegbius l. 7. cap. 50. p. 362. Joh.Phil.Gieswein p. 193. Timæus de Morbis venen.l.7.cas.20. & 21. p. 324. & 325. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 11. p. 168.* CANTHARIDES.

16. *Caudæ Cervinæ* symptomatum Curatio est post assumptionem subita evacatio, vel revomitio per aquam benedictam aut largiore butyro liquefacto epoto, post vomitum confert exhibitio Theriacæ, Corall. rubr. præparat. terr. lemniæ, lap. Smaragd. Bezoar. ol. citri, oss. de corde cervi cum vino, vel aquis alexitericis: videantur *Stegbius l. 7. Med. Pract. cap. 44. p. 361. F. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 32. Joh. Phil. Gieswein p. 193.* CAUDA CERVINA.

17. Curatio vulnerum ex morsu & laceratione ungvium *Felis* ut fiat: Vulnus subinde abluatur vino, in quo radices valerian. & herb. Veronic. coctæ, deinde vulneri imponatur cataplasma ex fabis, jejunis dentibus masticatis, vel ex stercore columbino cum urina pueri, aut aceto confectum, tumidæ verò & adjacentes partes inungantur oleô scorpionum & hypericon. ac tandem apparente suppuratione consolidetur Chirurgicâ industriâ Emplastrô attractivô impositô. FELIS CEREBRUM, SANGVIS & MORSUS.

Catti Cerebrum sumptum, statim vomitione ejiciatur, antequam venenata materia in corpus penetret, visque veneni in cerebrum deferatur. At si venenum jam tum Rationem turbavit, ad ejus extirpationem exhibeatur purgatio ex Extract. Elleb. nigr. vel vitro antimonii: posteà adhibeantur diaphoretica ex Theriaca, terr. lemn. & corall. cum aqua scordii. Cerebrum & spiritus corroborentur speciebus vel rotul. diamosch. dulc. teste *Fr. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 32. J. P. Gieswein p. 194.* Videantur porrò *Forestus l. 30. de Venenis obs. 7. p. 76. & obs. 11. pag. 152. Godefr. Steeghius in Med. Pract. l. 7. cap. 45. p. 361.*

18. *Hirudinum* epotarum curatio est earum revulsio & expulsio, aut mortificatio. Aliquando in applicatione hirudinum ad venas hemorrhoidales intra anum intrò eunt, quo in casu teste *F. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452.* Clysterem immittere oportet cum in- HIRUDINES.

 coctione

coctione colocynthidis & hieræ. Si itaque hirudo in faucibus, aut gutture hæreat, monet *P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 6. p. 75.* ut universum corpus aqvæ calidæ immergatur, capite eminente, teneatque æger in ore aquam frigidam, ita tandem in os prorepens hirudo cum aqua exspui potest. Antidota specialia sunt omnia, quæ contra lumbricos valent: vid. *Joh. Phil. Gieswein p. 195.*

Homo. 19. *Hominis* morsus, vel potiùs saliva Leprosi, aut morbo Gallico, scorbutovè laborantis contagiosus & pestilens est, & proinde cum ejusmodi morbis affectis, ex eodem poculo bibere periculosum est. Urina verò hominis sani confert morsui, si bibatur, aut cum ea vulnus foveatur: primò sangvis statim ex vulnere exprimatur, posteà vino, in quo sarsaparilla & herb. veronic. & agrimon. incocta sint, fomentetur & abluatur, aut in initio ore alius sani hominis sangvis ex vulnere exsugatur: tumenti verò vulneri cataplasmata ex fabis cum aqua rosarum & oleo confecta, applicantur, ut eò faciliùs consolidetur: Ex morsu hominis rabiei descriptionem tradit *Fernelius l. 2. cap. 14. p. 116.* & *Fr. O. Grembs l. 1. cap. 10. p. 131. & 152. n. 9. 10. 15.* item *Forestus l. 30. de Venenis obs. 11. p. 150.* De ungvium hominis laceratione venenata legatur *Godfrid. Steegbius l. 7. cap. 48. p. 361.* item de sangvine menstruo *cap. 49. p. 362.* Antidota habet *Job. Phil. Giesvvein p. 195.*

Mus, Sorex, Glis, Mustela & Talpa. 20. 21. 22. *Murium, Soricum, Glirium & Talparum* symptomata Alexiteriis sequentibus curantur: Abrotano, citri cortic. cumini sem. Lauri bacc. Limoniorum succo, portulacæ, scordio, Eruc. sativ. teste *Joh. Phil. Giesvvein p. 194. 195.* Locus contaminatus salsurâ abluatur, & Theriacâ confricetur: item oleum scorpion. & hyperic. linteolis exceptum imponatur: scarificatio & sangvinis infecti extractio apud Practicos non immeritò commendatur: post cucurbitulas ulceri imponantur cataplasmata ex galbano cum aceto, item ex allio & cæpis simul contusis confecta: intrà prodest singulis diebus haustus vini, in quo Abrotanum, bacc. lauri, sem. cymin. & folia scordii cum aliis antidotis sunt incocta: cutis exulcerata foveatur vino, in quo cortic. granatorum, folia veronic. & Lysimachiæ sunt incocta: post lotionem ulceribus inspergatur pulv. hordei tosti, quæ posteà Chirurgicâ industriâ consolidantur: de his videantur *Sebast. Cortilion. l. 2. de animal. venen. vuln. cap. 17. p. 428.* & *P. Forestus l. 30. obs. 11. p. 151. de Venen. & morsu mustelæ.*

23. Pa-

23. *Pastinacæ marinæ* symptomata curantur, ut morsus viperarum: peculiariter conferunt in principio ictus secundum *Joh. Phil. Giesvvein p.* 195. Theriaca, pulv. scordii, ol. Angelicæ cum vino, item salvia, rosmarinus, costus amarus, myrrha, pastinaca ipsa dissecta & imposita. Statim autem in initio cucurbitulas cum scarificatione affigere oportet, & sangvinem venenatum elicere: cataplasmata etiam ex furfuribus & aceto confecta, aut Empl. attractiv. applicata prosunt: Legantur *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 40. p. 205. Godfrid. Steeghius Med. Pract. l. 7. cap. 23. p. 355. P. Forestus l. 30. obs. 12. p. 184.* PASTINACA MARINA.

24. Curationem coagulati *Sangvinis Taurini* in ventriculo habet *Bald. Timæus de morbis venen. l. 7. cap. 15. p. 320.* Prosunt etiam teste *Joh. Phil. Giesvvein p. 196.* Clysteres cum oxymelite, & omnia, quæ sangvinem coagulatum resolvunt: item acetum squillitic. Vid. *F. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 32.* SANGVIS TAURINUS.

25. 26. 27. 28. In *Serpentum* & *Viperarum* ictibus curatio celeriter est adhibenda, & violentia veneni infringenda: ubi itaq; quis ab animalibus his demorsus fuerit, statim vulnus & tumor circa vulnus scarificetur, & cucurbitula imponatur, virusque eliciatur, aut vulneri statim imponatur gallina vivens deplumata, idque assiduè repetatur: postmodùm vomitio excitetur, & instituatur curatio, ut scribunt *Bald. Timæus* von Güldenklee *l. 5. Epistol. 16. p. 374. & l. 7. de morbis venen. cas. 18. p. 323. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 15. p. 172. & cap. 16. p. 173. & cap. 33. p. 191. & cap. 42. p. 207. Bartholin. Cent. 1. Epist. 41. p. 182. P. Forestus l. 30. obs. 12. p. 163. usque 182. Godfr. Steeghius l. 7. cap. 11. usque 20. p. 352. usque 354.* Valent hîc Antidota, quæ apud *Joh. Phil. Giesvvein p. 191.* item *Bertrucium in Med. Pract. l. 2. p. 250.* reperire licet. SERPENS & VIPERA.

29. Morsus *Scorpionum* curatio facillima est, si vulnus priùs teste *Bertrucio l. 2. tract. 3. fol. 251.* confricetur oleô, in quo scorpiones sunt extincti, aut captô scorpione ad mentem *P. Foresti l. 30. obs. 12. p. 159. & Jacobi Zigleri de ferm. p. 74.* vivo contritô vulneri impositô. Intra corpus ictis à scorpionibus utilissimum erit, exhibere drachm. j. pulv. aristoloch. long. & salviæ cum vino: Videantur etiam *Joh. Phil. Giesvvein p. 196.* item *Godfrid. Steegbii l. 7. cap. 22. p. 354. Andr. Cæsalp. l. 3. cap. 33. p. 191. & cap. 49. p. 202. Hier. Mercur.* comendat Aconitum *l. 1. cap. 12. fol. 16* SCORPIO.

30. Ve-

VESPERTILIO. 30. *Vespertilionum* morsus curatio tum hydrophobiæ ex assumptione acquisitæ, eâdem ratione iisdemque remediis est tentanda, quæ paulò antè in curatione rabiei canis enumerata sunt. Alia Alexipharmaca commendata contra venena legantur apud *Sennertum l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 21. p. 969.* & *Joh. Phil. Giesvvein p. 198.*

VENENA VEGETABILIUM.

Venena ex Regno Vegetabili.

ACONITUM, NAPELLUS. 1. 2. *Aconiti*, sive *Napelli* curatio statim in initio tentanda est, studendumque diligenter, ut haustâ potione vomitoriâ, v. gr. decoctô Anethi, in quo recens butyrum largiùs sit liqvefactum, veneni materia evomatur: Antidota autem hujus veneni legantur apud *Joh. Phil. Giesvvein p. 188.* & *F. O. Grembs de Lue Ven. l. 2. cap. 5. pag. 452. n. 34.* ubi lapis Bezoar, Smaragdus & alia commendantur, item bolus armen. terra Lemnia, bacc. berber. sem. napi cum haustulo vini: Theriaca crebrò offeratur ægro, ut & recens butyrum. *Hoffmannus supra Schröderum l. 5. p. 664.* pro Antidoto stercus humanum; *Sennertus in Instit. l. 5. part. 1. cap. 22. p. 970.* rutam & aristolochiam commendat. Extrà inungatur tumidum corpus subinde oleô scorpionum & hypericon: quibus Theriaca sit admixta; Videantur de curatione *Godfrid. Steegbius in Med. Pract. l. 7. cap. 26. p. 357. Bertrucius l. 2. tract. 3. fol. 248. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 10. p. 122. Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis cap. 19.* & *20. p. 176. 176.*

AGARICUS NIGER. 3. *Agarici Nigri* symptomata citâ evomitione, assumptô scilicet haustulô vini, in quo cortices radicum juglandis per noctem sunt macerati & posteà cocti curantur: quô factô confert butyrum recens cum lacte caprillo liberaliùs potum. Antidota sunt bolus Armen. terra Lemn. pul. cort. citri aurant. syr. acidi, Cydonior. citri: Vide *Andream Cæsalpinum l. 3. de Venenis cap. 24. pag. 183.*

CATAPUTIA. 4. *Cataputiarum* & *Ricinorum* noxis medentur illa, quæ in Esulæ & Tythymallorum venenis adhibenda infrà docebimus: videatur de his *Joh. Phil. Giesvvein p. 190.*

CICUTA. 5. *Cicutæ* curatio consistit in matura per vomitum evacuatione, factâ oleo irino cum aqua tepida & momento salis, aut alio emetico & subductâ alvô injectô acri Clystere: deinde prodest vinum absynth. Antidota Cicutæ sunt Theriaca, pulv. Gentianæ, oleum Angelicæ, cardamom. sem. apii, dauci, seselcos, urticæ,

cæ, amomi: Legantur porrò *Bald. Timæus l. 7. caſ. 4. p. 310. Hieron. Mercurialis cap. 11. fol. 14. Sennertus in inſt. l. 5. p. 970. Joh. Phil. Giesvvein p. 188. Godfr. Steeghius l. 7. cap. 27. p. 357.*

6. *Colocynthidis* aſſumptæ curatio perficitur, applicando ſtatim clyſterem ex lacte, oleo roſarum, & mucilag. tragacanth. ſ.a. paratum: Ventri autem, ut cruciatus & tormina ſiſtantur, imponatur ſacculus ex mentha, abſynth. roſis, anetho & ſem. cymini, in vino coctus. Antidota ſecundum *F. O. Grembs & Joh. Phil. Giesvvein*, ſunt Theriaca cum vino, bolus armen. corall. rubr. lap. Smaragdus, terra Lemnia: *Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 34. Giesvvein p. 188.* COLOCYNTHIS.

7. Curatio ſymptomatum ex *Coriandro* abſolvitur vomitoriis, exempli gratiâ, aquâ tepidâ cum oleo anethi. Antidotum verò ejus eſt Theriaca cum vino aſſumpta: item vincetoxicum, de quibus videantur *Andreas Cæſalpinus l. 3. cap. 21. p. 128. Joh. Phil. Giesvvein p. 188.* CORIANDRUM.

8. De *Croci* ſymptomatibus legantur *P. Borellus Cent. 4. obſ. 35. p. 303. & Hieron. Mercurialis de Venenis l. 1. cap. 11. fol. 15.* CROCUS.

9. *Cyclaminis* ſymptomatum curatio conſiſtit in evacuatione per Clyſterem ex lacte & oleo laurino confectum. Pro Antidoto exhibeantur baccæ lauri, piper album, folia rutæ, terra lemnia ex vino, item Theriaca, teſte *Joh. Phil. Giesvv. p. 188.* CYCLAMEN.

10. 11. Ellebori albi & nigri ſymptomata ex commotione humorum & flatuum orta, curantur vomitu, epoto ſcil. ol. rutæ cum aqua tepida; quod aliquoties repeti poteſt: alvus ſubducatur acri clyſtere ex decocto cent. minor. in quo bullierit ſcrup. j. colocynth. in petia ligat. additô oleô menthæ, vel anethi. Antidota verò ſunt Theriaca, pulvis rad. Nymphеæ, vel flores ejus & ſem. paſtinacæ cum vino: poſteà propinatur butyrum recens liqvefactum cum lacte, aut hydromelite: Ventriculi regioni verò imponatur ſacculus ſtomachalis ex mentha, roſis & ſem. cumini: ſi autem convulſio ſubſeqvatur, æger in balneum collocetur, & convulſi artus oleô anethi probè confricentur & inungantur: *Vid. Bald. Timæus de morbis ven. l. 7. caſ. 6. p. 312. Andreas Cæſalpinus l. 3. cap. 24. p. 183. Joh. Phil. Giesvvein p. 189. Fr. Osvv. Grembs l. 2. cap. 5. de morbis ex Lue Vener. p. 452. n. 34.* ELLEBORUS ALBUS & NIGER.

12. *Euphorbii* ſymptomata curantur feſtinatô vomitu: ſi verò materia jam ad inteſtina deſcendit, ibidemq; eroſionem facit, EUPHORBIUM.

per

per clysterem educenda, & protinùs ignea ejus vis & malignitas in visceribus exstingvenda est. Vomitio perficitur aqvâ tepidâ cum oleo violarum: Clyster verò conflatur ex aqua hordei, admixtis mucilaginibus sem: psyllii: aut ex lacte cum oleo anethi, vel rosarum. Antidota sunt Theriaca: spec: liberantes cum lacte: syr. de citro cum aqua rosarum: butyrum recens cum lacte: serum quoque lactis, de quibus vid. *Bald. Timæus* von Güldenklee *l. 7. de morbis ven. cas. 7. p. 313.* ubi pro speciali Antidoto semen citri ex vino enulato cum aqua cichorii diluto exhibuit: idem commendat *Joh. Phil.* Gieswein *p. 189. Fr. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 35.*

FUNGI VENENATI. 13. Curatio symptomatum ex *Fungis Venenatis* ortorũ consistit in matura evomitione & subductione alvi, clystere itidem ex convenientibus alexipharmacis confecto. Antidota leguntur apud *Joh. Phil.* Gieswein *p. 189. Andream Cæsalpinum l. 3. cap. 18. p. 174. Bertruc. Pract. l. 2. tr. 3. fol. 249. Timæum* von Güldenklee *l. 7. cas. 5. p. 311. Platerum de funct: læsion: Praxeos de respirat. defect: p. 447. Godfr. Steegbium l. 7. de morbis ven. cap. 30. p. 359. Petrum Joh. Fabrum in Opere Panchym. l. 5. sect. 3. cap. 1. p. 632. de fungis.*

HYOSCYAMUS. 14. *Hyoscyami* seminis, succi & radicum symptomata curantur vomitu, ut & clystere acri, additô oleô rutæ: bibendum offeratur lac, in quo castoreum & ruta sunt cocta: Vinum absynthites prodest. Antidota sunt: Theriaca: Mithridatium: ol. Angelicæ: Coagulum hœdin. cum vino: piper longum: de quibus videantur *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 22. p. 179. F. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 452. n. 33. Joh. Phil. Giesvvein p. 189. Godfr. Steegbius l. 7. cap. 28. p. 357. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 10. p. 123. 124.*

JUGLANS & SAMBUCUS. 15. 16. *Juglans* & *Sambucus* arbores. Earum sub umbra recubantium symptomata & curationes habet *B. Timæus* von Güldenklee *l. 7. de morbis venen. cas. 8. p. 314. 315.* quorum nos etiam suprà mentionem fecimus *Cap. V.*

LAUREOLA. 17. Ex *Laureolæ* foliis & seminibus symptomata similia sunt illis, quæ ex Mezereo & coccognidio proveniunt: curanturque iisdem ferè antidotis: prodest etiam ægrum in balneum aquæ frigidæ collocare: vel frigidam aquam linteolis exceptam ventri imponere: & lac subinde cum recenti butyro exhiberet, vel bolum armenam propinare.

18. In

18. In *Mandragora* sumpta curatio fit primùm excitatô vomitu per aqvam benedictam ex vitro Antimonii: posteà alvus subducatur clystere acri ex hydromelite & oleô rutæ confectô: deinde excitetur sternutatio: conducunt etiam Errhina ex radicibus Gentianæ & pyrethr. castoreo & majoranâ; Caput præterea circa suturam coronalem & tempora inungatur oleô & acetô rosarum mixtis: acerrimum acetum naribus applicetur, vinum absynthites haustum prodest. Antidota sunt Theriaca; pulv. castorei, scordii & rutæ cum vino: procedatur porrò, ut in cura hyoscyami: Videantur *Godfr. Steegbius in Med. Pract. l. 7. cap. 29. p. 357. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 22. p. 179. & 180. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 10. p. 124. F. O. Grembs l. 2. cap. 5. de morbis venen. p. 452. n. 33. Joh. Phil. Gieswein p. 189.* commendat oleum Amygdal. cum succo citri. MANDRAGORA.

19. In *Mezereo* hausto conducit vomitus excitatus per aquam benedictam: vel oleum anethi cum aqua tepida: ut & clyster ex oleo rosarum cum decocto chamomilli. Antidota sunt Theriaca: scordium, corall. rubr. terra Lemnia cum vino, lacte, vel butyro liqvefacto: de quo vid. *Joh. Phil. Gieswein p. 190. P. Forestus l. 36. obs. 9. p. 114.* MEZEREON.

20. *Nucis Vomicæ* symptomata curantur maturâ vomitione per aquam benedictam: aut oleum Amygdalarum d. vel Anethinum cum aqua calida commixtum. Antidota sunt, pulv. Zedoar. drachm. j. cum vino: succus citri corticesque ejus pulverisati, aut conditi, item succus cydoniorum: Vid. *Joh. Phil. Gieswein p. 190. P. Forestus l. 30. obs. 10. p. 135.* NUX VOMICA.

21. *Rhododendri* seu *Nerii* foliorum symptomata curantur itidem vomitu & clysteribus, ex decocto ficuum & oleo amygdal. d. paratis: item crebrâ potatione decocti dactylorum & ficuum. Antidota sunt Elect. diacastor. pul. bacc. lauri, juniperi: sem. rutæ, agni casti: conferunt quoque ficuum, dactylorum & butyri recentis crebræ esitationes: Vid. *Gieswein p. 190. Godfr. Steegbius l. 7. cap. 35. p. 359. P. Forestus l. 30. obs. 10. p. 136.* OLIANDER.

22. Curatio symptomatum ex *Opio* consistit in tempestiva per vomitum rejectione, ex. gr. hausto vino, in quo cortices rad. juglandium cocti sint: prodest clyster ex hydromelite, in quo cocta sint, centaur. minus, ruta, scordium & castoreum cum oleo castorei, & simil. tandem sudor proliciatur assumpto antidoto Theria- OPIUM.

cali: sternutatio quoque ex euphorbio & majorana plurimùm confert: sutura verò coronalis & tempora inungantur oleô castorei: ægerque subinde excitetur è somno, naribus admoto nodulo ex castoreo & euphorbio in aceto acerrimo macerato. Inter Antidota plurimùm conferunt aqva juniperi, ol. Angelicæ, ol. vitrioli parùm cum vino: item castoreum: Videantur de curatione, *Godfr. Steegbius l. 7. cap. 30. p. 358. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 22. p. 181. P. Forestus l. 30. obs. 10. p. 127. Joh. Phil. Gieswein. p. 190. Bertrucius in Med. Pract. l. 2. tract. 3. fol. 249. Sennertus in Inst. l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 20. p. 970.*

PSYLLIUM. 23. *Psyllii* symptomata curat etiam vomitus & subductio alvi per clysteres ex decocto absynthii & centaurei cum oleo rutæ factos: prodest porrò crebra potatio vini meracioris. Antidota erunt Theriaca & pulv. vincetoxici, de quibus legantur *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 21. p. 178. Joh. Phil. Gieswein p. 190. P. Forestus l. 30. obs. 10. p. 131.*

RANUNCULORUM *genera.* 24. *Ranunculorum* symptomata curat similiter vomitus & hunc subsequens somnus. Antidota sunt melissa, ejusque succus cum vino rubro mixtus: item lac caprillum cum recenti butyro haustum. Vid. *P. Forestus l. 30. obs. 10. p. 122.* Aliam curam habet *Godfr. Steegbius Med. Pract. l. 7. cap. 32. p. 358. de Venenis.*

SCAMMONIUM. 25. *Scammonii* symptomata statim in principio vomitus tollit, assumpta scilicet aqua calida cum oleo anethi, vel amygdalarum dulcium: post vomitum syr. de succ. citri, aut rosarum cum aqua tormentillæ, aut hordei potest exhiberi. Ut autem fluxio alvi sistatur, confert ægrum in aquam frigidam usque ad umbilicum collocare. Antidotum scammonii est Theriaca cum aqua rosarum, vel plantaginis: aut bolus armen. corall. rubr. terra Lemnia, C. C. ustum cum aqua tormentillæ: plurimùm confert, si æger lac recens mulctum cum butyro recenti, aut cum oleo amygdalarum dulcium bibat: utilis etiam est succus cydoniorum, limoniorum, ribium & omnes acidi succi: Videantur *Bertrucius l. 2. tract. 3. fol. 249. Joh. Phil. Gieswein p. 190. P. Forestus l. 30. obs. 9. p. 114.* statuit curationem symptomatum Scamonii cum cura Tythymalli eandem esse.

STAPHISAGRIA. 26. Seminis *Staphisagriæ* symptomatum curatio perficitur etiam vomitu, hausto hunc in finem priùs oleô Amygdal. d. & si in alvum descenderit, præstat clyster ex oleo Amygdalarum d. &

lacte

lactè paratus. Antidota sunt bolus armena & butyrum recens: Reliqua remedia videantur in *curatione Cantharidum*, item apud *Godfr. Steegbium Med. Pract. l. 7. cap. 55. p. 363. Bertrucium in Med. Coll. l. 2. tract. 3. fol. 250.*

27. *Taxi* assumptæ symptomatum curatio eadem est, ut Scammonii. Antidota sunt Absynthium, baccæ juniperi, gentianæ radix, iris, syr. citri: Vid. *Godfr. Steegbius l. 7. cap. 34. p. 358. Job. Phil. Giesw. p. 191. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 21. p. 178.* TAXUS, ARBOR.

28. *Tithymallorum* & *Esulæ* noxarum curatio perficitur vomitu per oleum anethi, sive amygdalar. d. cum aqva tepida institutô: post vomitum valent clysteres ex oleo rosarum, vel cydoniorum cum ovorum albumine confecti, addendo etiam mucilaginem sem. psyllii: posteà loco Antidoti exhibeantur Theriaca cum aqua carduibened. pulv. bol. armen. terr. Lemn. tragacath. corall. rubr. C. C. usti, gum. arabic. vel per se, vel mixta cum vino: vid. *Bertrucius l. 2. tract. 3. fol. 248. Petr. Forestus l. 30. de Venenis obs. 9. p. 116. 117.* TITHYMALLORŪ *species.*

29. *Turbith* curatio fit per ejus subitam evacuationem ἄνω καὶ κάτω, tum etiam per clysteres administratam. In elutione alvi plurimùm confert hydromel, vel aqua mellis cum oleo amygdalarum amar. præstat quoque potio hydromellis cum oleo amygdalarum. Antidota secundum *Job. Phil. Gieswein* sunt Theriaca, spec. liber. pulvis Enulæ, fraxinell. myrrh. mumia cum vino. TURBITH.

30. *Viscus Arborum*, Vogelleim. Hoc ex Visco symptomatum curatio fit vomitu, ut in omnibus Venenis: & alvi per clysteres subductione factâ cum oleo absynthii & decocto ejusdem: laudatur lactis cum recenti butyro crebra potatio: ut & lactis caprilli recentis usus: pro Antidoto bibatur vinum absynthites & decoctum scordii: exhibetur item pulvis scordii, coagulum leporis, Theriaca cum vino &c. VISCUS.

Venena ex Regno Minerali.

VENENA MINERALIUM.

1. *Aluminis* symptomatum curatio absolvitur exhibitâ pulpâ cassiæ fistularis & cremoris ptisanæ, lactisque usu: deinde procedatur, ut in cura Phthisis exhibendo cibos & medicamenta humectantia & mundificantia. Antidota Aluminis sunt: Spiritus Vitrioli gt. 7. cum unciis iij. vini, vel jusculis sumptus: item Theriaca: vide *Bertrucium l. 2. tract. 3. p. 247. & Job. Phil. Giesvvein pag. 199.* ALUMEN.

2. Anti-

ANTIMONIUM. 2. *Antimonii* remedia sunt vinum, in quo caryophylli & mastix sunt cocta, cort. aurantiar. & cydon. condit. conferunt quoq; svavia odoramenta, cerebrum & cor roborantia. Antidota sunt, ol. caryophyll. cum vino: Theriaca: Philon. Rom. bolus armen. mastix, terra Lemnia & sigill. zedoar. Externè verò confert ventriculo applicare Emplastrum de crust. pan. aut crustam panis siliginei tostam & vino Malvatico conspersam: de quo vid. *Fr. Osvv. Grembs l. 2. cap. 5. p. 451. n. 26. Joh. Phil. Giesvvein p. 199.*

ARMA VENENATA. 3. *Armorum Venenatorum* symptomata Chirurgicâ industriâ curantur. Elicitur autem venenum sangvinem infectum exprimendo, & eluendo vulnus diligentissimè vinô, in quo cocta sint scordium, centaurium minus, agrimon. veronic. In principio ligetur membrum supra locum læsum, ne virtus venenosa transeat in corpus: scarificatio etiam prodest. Vulneri autem statim post primam ablutionem imponatur pro vulneris magnitudine, aut pulli gallinacei, aut catelli dissecti, aut carnis ovillæ frustum: interiùs verò, si suspicio sit, venenum ex vulnere jam ad partes principales & viscera serpsisse, statim vomitus excitandus, assumptô quodam emeticô: post vomitum subinde ea exhibeantur remedia Bezoartica, quæ veneno adversantur, & partes principales corroborant: Legantur de his plura apud *Andream Cæsalpinum l. 3. de Venenis spiritu illatis cap. 46. p. 216. Bertrucium l. 2. tract. 3. fol. 246. & 250. P. Forestum l. 30. de Venenis obs. 11. p. 146.*

ARSENICUM & AURIPIGMENTUM. 4. 5. Curatio symptomatum ex assumpto *Arsenico* & *Auripigmento* absolvitur, in initio ægrum arcendo à somno, donec venenata materia per vomitum sit evacuata: deinde si cruciatus intestina affligat, Clysteres applicantur: quô factô confert plurimum, subinde uti recenti butyro & lacte tepido, in quo semen lini sit coctum: uti quoque conferunt juscula pingvia, cremor ptisanæ, & oriza cum lacte cocta. Antidota sunt Theriaca, conf. orvietan. lap. Bezoar or. Bezoart. solare, cryſtall. & corall. rubr. præpar. ol. amygdal. pulv. cæsar. rub. item Saxonic. rad. Angelic. Valerian. Vid. *Bald. Timæus l. 7. de morbis ven. cas. 11. p. 317. Godfr. Steeghius l. 7. Med. Pract. cap. 53. p. 363. Bertrucius l. 2. tract. 3. fol. 247. Hieron. Mercurialis l. 2. cap. 9. p. 42. Joh. Phil. Giesvvein p. 199. Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 28. p. 188.*

BORRAX. 6. *Borrax*, si ultra justam mensuram intra corpus ingeratur, symptomata, qualia Sal Nitrum, vel lixivium ejus, infert: itaque è cu-

e curatione Nitri salis symptomatum curatio petenda est: de quo vid. *Timæus l. 7. cas. 9. p. 315.*

7. *Calcis Vivæ* symptomata curantur lenientibus & lubricantibus, calcisque acrimoniam restringentibus. Antidota sunt, terra Lemnia, omnia mucilaginosa & pingvia. Plura, quæ ad curationem pertinent, ex curatione Arsenici & Cantharidum peti debent: vid. etiam *Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis cap. 29. p. 189. Timæus* von Güldenklee *de morbis ven. cas. 13. p. 319. Franc. Osvvald Grembs l. 2. cap. 5. de Lue Ven. p. 451. n. 26. Job. Phil. Giesvvein p. 199.* CALX VIVA.

8. 9. 10. *Cerussæ, Minii* & *Plumbi* symptomatum curatio tentanda est validâ evomitione, & acribus clysteribus. Antidota sunt Theriaca, ol. Angelicæ, majoranæ, fraxini fol. lixivium ex cineribus sarmentorum vitis: ova columbina: spodium, spiritus Vitrioli cum vino: *Vid. Godfr. Steegbius l. 7. Med. Pract. cap. 56. p. 363. Timæus l. 7. cas. 10. p. 316. Hieronymus Mercurialis lib. 2. cap. 11. p. 45. Bertrucius l. 2. tract. 3. fol. 257. Giesvvein pag. 200. Forestus l. 30. de Venenis obs. 8. p. 105.* CERUSSA, MINIUM & PLUMBUM.

11. *Cinnabaris* symptomata eandem obtinent curationem cum Mercurio sublimato: nempe mox opera danda, ut fiat evomitio: postea sumantur jura pingvia gallinarum, ut & cibi unctiosi & temperati in caliditate, velut est butyrum, quô lubricentur viæ, & materia eliminetur per vomitum, aut secessum. Antidota sunt Theriaca: spodium cum vino: *Giesvvein p. 200.* CINNABARIS.

12. 13. *Æruginis* & *Æris usti* symptomatum curatio consistit in evomitione, assumptô oleô anethi, vel amygdalar. d. cum aqva calida: ubi in intestina delapsum est æs ustum, clyster quoq; est adhibendus ex violis, malva, sem. hord. fœnugræc. psyllii, althæa & similibus cum oleo violarum, melle, &c. Quòd si fluxus ventris supervenerit, præmißô abstergente restringatur: post vomitum & evacuationem sæpè exhibeantur jura gallinarum pingvia & brodia: sumat etiam æger sæpiùs mucilaginem seminis fœnugræci, lini, psyllii, althææ, malvæ, it. syrup. violarum, aut julapium: utatur lacte calido, & butyro multo cum buccella panis. Antidota sunt terra Lemnia, bolus armena, corall. rubr. Zedoar. ol. anisi cum vino: succus menthæ, acori, apii: de his videantur *Andreas Cæsalpinus l. 3. cap. 31. p. 190. Godfr. Steeghius l. 7. cap. 53. p. 363. F. O. Grembs l. 2. cap. 5. p. 451. n. 02. Giesvvein p. 199.* ÆRUGO & ÆS USTUM.

14. Ferri

FERRI SQVAMÆ. 14. *Ferri Sqvamarum* ſymptomata curantur acrioribus clyſteribus, & crebrâ potatione lactis caprilli, ut & eſitatione butyri recentis, pingvioribusque juſculis. Capitis autem dolorem ſedat crebra inunctio cum oleo & aqua roſarum ſimul mixtis. Corporis ariditatem tollunt crebra balnea aquæ dulcis, in qua malva & althæa cum radicibus ſunt cocta: porrò procedatur, ut in curatione Æruginis. Antidota ſunt terra Lemnia, ſigillata: corall. rub. cum juſculis: teſte *Joh. Phil. Gieswein pag. 200. Bertrucio in Pract. Med. l. 2. tract. 3. p. 247.*

GYPSUM. 15. Curatio ſymptomatum *Gypſi* eadem eſt, quæ Ceruſſæ & Venenatorum Fungorum. Antidotum veneni ex Gypſo eſt oleum Vitrioli: detur poſt vomitum: aut gt. 8. olei Angelicæ: aut Theriacæ drachm. j.ß. cum aqua Theriacali: item cineres ſarmentorum vitis: tum radic. angelicæ & dictamni cum oxymelite: item origanum ex aceto epotum, item ſtercus murium: de quibus videantur *Andreas Cæſalpinus l. 3. cap. 25. p. 148. Bertrucius l. 2. tract. 3. fol. 247. Hier. Mercurialis l. 2. cap. 11. p. 45. Godfrid. Steeghius l. 7. Med. Pract. cap. 56. p. 363. Gieswein p. 200.*

HALITUS VENENATI. 16. *Halitus Venenati*, vel Vapores ex cavernis, & alii fumi virulenti cordi communicati curantur in genere ſuffitu & ſvavibus odoribus ſpiritus refocillantibus: Si nervi ſint contracti, partium affectarum confricationes fiant linteis calidis: Exteriùs uſurpantur aqvæ antiepilepticæ apoplecticæ &c. Antidoti loco conveniunt Theriaca: item oleum angelicæ cum vino: de his videatur *Andr. Cæſalpin. l. 3. de Venenis ſpiritu illatis cap. 46. p. 217.*

LAP. ARMENUS. 17. *Lapidis Armeni* ſymptomata curantur vomitione aptâ & ſubductione alvi per clyſteres emollientes: confert & crebra potatio lactis caprilli tepidi, & eſitatio recentis butyri & cremoris ptiſanæ hordeaceæ. Antidota ſunt ſuccinum alb. corall. rubra præparat. & omnia cordialia, teſte *Joh. Phil. Gieswein p. 200.*

LAP. CALAMINARIS. 18. *Lapidis Calaminaris*, ſive Cadmiæ foſſilis ſymptomata curantur vomitione: poſtmodùm ut in cura Calcis vivæ & Cinnabaris procedatur.

LAP. LAZULI. 19. *Lapidis Lazuli* ſymptomatum curatio perficitur, ut Lapidis Armeni; nempe vomitione & ſubductione alvi per clyſteres: potatione etiam crebrâ lactis caprilli tepidi, & eſitatione butyri recentis. Antidota ſunt eadem, quæ Lapidis Armeni. *P. Foreſtus l. 30. de Venen. obſ. 8. p.* 106. comendat Lap. Bezoar, & ſuccinum cum vino, item lac aſininum.

20. Lap.

20. *Lap. Magnetis* symptomatibus succurrit maturà evomitio procurata,per infus. vitri Antimonii , vel vitri antim. gr. iij. cum drachm.i. conserv. rorismarini : confert etiam alvum & intestina clystere ex decocto malvæ , althææ, betonicæ, scordii & meliloto parato, cui Elect. hier. simpl. & ol. amygdalar. dulc. sit admixtum, subducere. Antidota veneni Lap. Magnetis sunt, Theriaca : item compositio de auri rasura,unicornu,cornu cervi phil. præparat. corall. rubr. in forma pulveris ex haustu vini : Vide *Joh. Phil. Gieswein p. 200. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 6. p. 106.* Lap. Bezoar & Smaragdum commendat. LAP. MAGNES.

21.22. Coloris *Lasurini* cœrulei ex argento præparati,(Germanicè Lasurblau) ut & *Lithargyrii* symptomata iisdem remediis curantur, quorum in cura Æruginis & Æris mentionem fecimus: Videantur *Bertrucius l. 2. tract. 3. p. 247. Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis cap. 25. p. 184. P. Forestus l. 30. de Venenis obs. 8. p. 97. de Lithargyrio.* LASURINUM & LITHARGYRIUM.

23.24.25. Sequitur *Mercurius Præcipitatus, Sublimatus & Vivus.* Argentum vivum crudum cum bibitur, illicò egreditur per inferiora : & siquidem fuerit non legitimè præparatus & lotus Mercurius, lædit ventriculum & intestina cum dolore & torsione, atque inflatione ex frigiditate sua actuali, priusquam egrediatur per inferiorem regionem : quare inflatur ex eo corpus totum, retinetur urina, intumescit lingva, & debilitantur membra omnia, veluti in Paralysi & Apoplexia. Si verò fuerit sublimatus, est nocens valde, atque corrosivus propter caliditatem maximam, quam per adustionem vehementem acqvisivit, de quo *Philippus Salmuth* observationem habet *Cent. 1. Medic. Obs. 9. pag. 6.* quare inducit acutum dolorem, mordicationem & erosionem ventriculi & epatis, priusquam egrediatur, & seqvitur fluxus ventris sangvineus, dysenteria perniciosa, & tandem mors ipsa. Curatio horum symptomatum instituitur per vomitoria & clysteres, affirmante *Andrea Cæsalpino l. 3. cap. 26. p. 187.* post hoc verò oportet considerare accidentia, quæ seqvuntur : quia si seqvitur fluxus ventris & dolor intestinorum, dentur confectiones stipticæ (præmissis tamen præmittendis) gradatim procedendo, donec ad narcotica perveniatur, & restringatur fluxus alvi : si verò seqvitur paralysis, dentur confectiones calidæ hûc facientes, inprimis diamargarithon calid. Theriaca vetus; Mithridat. & alia MERCURIUS PRÆCIPITATUS, SUBLIMATUS & VIVUS.

antidota: interdum confert etiam bibere lac caprillum in plurima quantitate: item lac acetosum, & exercitari motu forti assiduò: hoc enim dolorem mitigabit & leniet. Nonnunquam conducit pulvis myrrhæ drachm. i. vel ij. in vino: prodest etiam vinum absinthites, scordii, hyssopi, rutæ. Pulvis præcipitatus secundum *Andream Cæsalpinum l. 3. cap. 27. p. 188.* est argentum vivum ustum in cinerem: si non satis probè sit præparatus, aut non justâ dosi exhibeatur, symptomata infert gravia; potissimùm autem putridæ salivæ ex ore continuam effluxionem, dentium vacillationem & membrorum tremorem: corrodit tamen imbecilliùs, quàm sublimatus. Hæc symptomata curari possunt decocto radic. chinæ & sarsaparillæ, & aliis, quæ in Morbo Gallico locum habent.

Aqvæ fortis symptomata curantur, si statim post assumptionem, antequam illa altiùs penetret, evomatur, haustô hunc in finem oleô amygdalarum dulcium: contra ejus virulentam erosionem valet potio lactis caprilli, in quo semen psyllii sit maceratum, & multa butyri recentis esitatio. Antidota Mercurii sublimati, testantibus *Joh. Phil. Gieswein p. 200.* & *Daniele Sennerto in Inst. l. 5. part. 1. sect. 1. cap. 22. p. 969.* specialiter sunt, lapis Cryställ. cum oleo amygdalarum dulcium, sal. rutæ, absinth. costus, myrrha, oleum tartari, lac, semen petroselini & columbarum agrestium stercus.

NITRUM. 26. In *Nitri* Lixivii noxis remedia habet *Bald. Timæus* von Güldenklee *de morbis venen. l 7. cas. 9. p. 315.* pro antidoto exhibeantur aliquot guttæ olei caryophyllorum cum haustu vini.

SAL ARMONIACUM. 27. Curatio symptomatum ex *Sale Armoniaco* eadem est cum curatione symptomatum Mercurii sublimati, aut Arsenici: de quibus suprà actum.

SULPHUR. 28. *Sulphuris* symptomata curantur vomitu oleô amygdalarum dul. cum aqva tepida procuratô: conducit etiam syrup. granatorum, vel citri ex aqva plantaginis: item cremor ptisanæ hordeaceæ, lac acidum. Antidotũ est cryſtallus præparat. cum lacte, item mucilago cydoniorum, terra Lemnia: *Gieswein p. 200.*

VITRIOLUM. 29. *Vitrioli* crudi assumpti symptomatum curatio etiam per vomitum & clysteres perficitur: confert plurimùm recens butyrum. Antidota secundum *Petrum Forestum l. 30. de Venenis obs. 8. p. 103.* & *Joh. Phil. Gieswein p. 201.* sunt lap. Bezoar: corall. rubr. terra Lemnia, mucilago sem. cydoniorum cum aqva hordei:

Ex

Ex ſpiritu Vitrioli ortorum ſymptomatum curatio videatur in *Timæi Caſibus l. 7. de morbis venen. caſ.12. p. 318.*

30. Aſſumpti *Vitri* ſymptomatum curatio ex curatione Calcis & Arſenici peti debet. Antidota ſunt, bolus armena, terra Lemnia cum lacte tepido, & omnia pingvia & mucilaginoſa: *Job. Phil. Gieswein p. 201.* VITRUM.

CAP. VII.

MORBORUM MALIGNORUM & VENENATORUM, tam in genere, quàm ſpecie mentionem facit: nomina eorum, definitiones, cauſas, ſigna & curationes ex Authoribus depromit & recenſet.

DAntur equidem Morbi Venenoſi: ſimplices & compoſiti: ſuffocativi: Epileptici: peſtiferi &c. de quibus prolixè legantur *Godfr. Steegbius l. 7. Med. Pract. de Morbis Venenatis cap. 3. de Epilepſia p. 319. & cap. 4. de uteri ſuffocatione p. 324. Laz. Riverius l. 8. cap. 1. de ſyncop. & l. 15. cap. 451. de Hyſterica Paſſione.* Sic etiam Morbilli & Variolæ, Febres malignæ, Dyſenteria cum Peſte nonnunquam ſolent colludere: Sic Hyſterica Paſſio inſtar veneni interdum ſtrangulare ſolet, referente *Job. Fernelio l. 2. de abd. rerum cauſ. cap. 11. de occult. morb. diff. p. 104. & cap. 15. de Venen. morb. p. 121.* Unde à Doctiſſimis inſuper noſtri ſeculi Medicis, morbi venenoſi, contagioſi & maligni, febres præſertim peſtiferæ, ut & ipſa peſtis, Venenis æqviparantur, & ab iis denominantur: quemadmodum peſtis alia Arſenici, Mercurii, Ceruſſæ, Viperarum, Scorpionis, Canis rabidi veneni, Tithymalli, Eſulæ, Cicutæ, Napelli, Opii &c. naturam referre ſolet, de quibus conſulendi *Daniel Sennertus l. 2. part. 1. cap. 4. de morbis tot. ſubſt. p. 156. & part. 2. de Venenis p. 278. & cap. 8. p. 248. de Humor. ex Chym. ſentent. Barth. Conradinus l. de Febribus Ungar. cap. 1. Benjamin Scharffius de Venenis cap. 4. p. 45. Lazarus Riverius l. 17. p. 529. ſect. 3. de febribus peſtilent. usque ad pag. 548. Johan. Hayne de Morb. aſtral. p. 2. & tract. 2.* von dem Firmament. *impreſſ. cap. 2. usque 7. p. 275. usque 298.* Formaliter morbi venenoſi & maligni ſpecificâ proprietate & occultâ malignitate agunt: Materialiter verò qvalitatibus etiam manifeſtis, tam primis, quàm ſecundis infeſtant. Peſtilentes febres & omnes alii morbi valde maligni, ut & oriundi à Venenis, quæ toto genere lethalia ſunt, morbi totius ſubſtantiæ ſeu occultarum qvalitatum nominantur, teſte

 Fernelio

Fernelio l. 2. de abd. rerum cauſ. cap. 11. p. 103. de occult. morb. differentiis, & cap. 15. de venen. morbis p. 121. Franc. Joel. tom. 5. lib. de Febribus ſect. 3. de Peſte p. 41. Definitiones horum morborum videſis apud *Hieronymum Mercurialem de morbis ven. l. 1. cap. 2. p. 3. & Andream Cæſalpin. l. 3. de Venen. cap. 6. p. 156. & multos alios.*

Nobis impræſentiarum placet hos morbos breviter delineare, eorumque ſymptomata cum annexâ curatione ex probatis Authoribus recenſere: de Venenis in corporibus noſtris genitis vid. *Andr. Cæſalp. l. 3. cap. 47. p. 218. & de Venenis ſpiritu illatis cap. 46. p. 216. & Benjamin Scharffius cap. 14. de effect. venen. p. 175.*

In curatione autem ante omnia opera danda, ut quamprimùm fiat Veneni expulſio, & ſymptomatum mitigatio, morbiq; venenoſi ſeqvatur ex voto remiſſio. Si lividus ægri ſit aſpectus, vel nigricans, ſignum eſt peſſimum. Si facies ſit torva, tetrica & Hippocratica, mortem indicat: vel, ſi corporis moles celerrimè cum virium exſolutione diminuitur; vel augetur, malignitatem ſumam portendit *l. 2. Aph. 28.* quâ de re vid *Daniel Sennertus in Inſt. Med. l. 3. cap. 7. part. 3. de eventu morb. & qualit. corpor. cognoſc. pag. 740.* Dantur itaque

MORBI VENENOSI. 1. Morbi Venenoſi ex Arſenico: 2. ex Bufone: 3. Cancro exulcerato: 4. 5. 6. 7. ex Cantharidibus intempeſtivè admotis & devoratis, item ex Calce viva, Cane rabido: 8. Dyſenteria ex Adamantis uſu: 9. 10. 11. ex Elleboro, Euphorbio & Fungis Venenatis: 12. Febres malignæ & peſtilentes: 13. Morbus Gallicus, ſeu Lues Venerea: 14. Hungaricus, militaris, ſive caſtrenſis: 15. 16. 17. 18. Symptomata Hirudinum deglutitarum, ictus Veſparum, ex Plumbo & Sangvine Taurino: 19. Icterus niger à ſumpto veneno: 20. Morbi à Faſcino ſeu incantamentis: 21. Lepra: 22. 23. Morbilli & Variolæ malignæ: 24. Morſus ſerpentum: 25. Febris petechialis: 26. Febris peſtilentialis: 27. Scorbutus inveteratus: 28. Ulcera maligna varia.

ARSENICUM. 1. Morbi Venenati ex *Arſenico* curationem habuimus ſuprà ex *Timæi Caſibus de Morbis Venenatis caſ. 11. p. 317.*

BUFO. 2. Succi *Bufonis* vivi à Circumforaneo expreſſi & hauſti curationem etiam ex *Timæo* ſuprà *caſ. 16 p. 321.* propoſuimus.

CANCER. 3. *Cancri exulcerati* hiſtoriam & curationem L. B. videat apud *Lazarum Riverium in Inſt. Med. l. 3. ſect. 2. cap. 8. p. 68.* ubi rectè dicitur, quòd cancer ſuâ naturâ perpetuò malignus ſit *l. 15. cap. 10. p. 463.*

p. 463. item *in Observ. p. 678. obs. 20. Franc. Joël. Chirurgiam de curat. morb. part. exter. p. 191. Arculanum in Praxi Medica de Polypo cap. 25. p. 132.*

4. 5. 6. 7. Morborum Venenatorum ex *Cantharidibus* extra admotis, & devoratis; item ex *Cicuta, & Calce viva*: item venenum *Canis rabidi* esu lactis vaccini communicatum; ut & ex morsu canis rabidi, eorumque curationes ex *Casibus Timæi p. 327. cas. 23. & p. 324. cas. 20. & p. 310. cas. 13. & p. 319. cas. 13. & p. 327. cas. 23. & p. 326. cas. 22.* proposuimus. De morsu canis rabidi plures observationes & curationes legi possunt apud *Sebastianum Cortilion. in Inst. Chir. l. 2. de ulceribus malignis cap. 17. pag. 427. Job. Hayne de morbis astral. p. 44. Felicem Platerum in Praxi tract. de funct: læsion: cap. 3. p. 127.* CANTHARIDES, CICUTA, CALX VIVA, CANIS RABIOSUS.

8. *Dysenteria* propriè dicta est intestinorum ulcus, dejectiones crebras, cruentas, purulentas ac dolorificas inferens, à materia acri abradente ac intestinis peculiariter infesta, sæpeque malignâ ortum ducens. Differentias, Causas, Signa & Curationes habent *Duncanus Liddelius in Arte Medica l. 3. de affect: intestin: cap. 11. p. 407. usque 409. Godfr. Steegbius l. 8. Med. Pract. cap. 40. p. 407. Marquardus in Praxi l. 3. cap. 20. p. 250. usque 257.* DYSENTERIA.

9. 10. 11. Morborum Venenatorum ex *Elleboro, Euphorbio, & Fungis Venenatis* ortorum curationes ex *Timæi Casibus l. 7. cas. 5. p. 311. & cas. 6. p. 312. & cas. 7. p. 313.* annotavimus, videantur porrò de his *Andreas Cæsalpinus in speculo Artis Med. l. 3. cap. 18. p. 174. Hieronymus Mercurialis de morbis venen. l. 2. p. 46.* ELLEBORUS, EUPHORBIUM, FUNGI VENENATI.

12. *Febris maligna* est affectus plerumque contagiosus, à vehementi & molesta cordis irritatione ex insolenti & maligna fermentatione, seu effervescentia p. n. ortus & excitatus, cum symptomatibus gravioribus conjunctus. Differentiæ, Causæ, Signa & Curationes legantur apud *Baldas. Timæum von Güldenklee l. 8. de Febribus cas. 25. p. 336. & cas. 27. p. 382. & l. 4. Epistol. epist. 13. p. 303. & epist. 14 p. 305. & epist. 15. p. 306. Franc. Joel. tom. 5. l. 1. de febribus & venenis sect. 1. p. 1. usque p. 40 Daniel. Sennert. in Inst. l. 2. part. 2. cap. 12. de causis morb. tot. subst. p. 271. & de contagio p. 274. & l. 3. part. 2. cap. 3. de signis morborum p. 679.* FEBRIS MALIGNA.

De Febrium malignarum prognosi observandi sunt
magni Hippocratis Aphorismi, ex quibus nimirùm de eventibus
Febriũ præsagia sumi possunt, ut sunt hi sequentes:

1. In

1. In Febre non intermittente, si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium contorqveantur, vel non videat, vel non audiat, jam debili existente corpore, quicquid horum evenerit, mors proxima est. *4. Aph. 49.*

2. Ubi in Febre non intermittente difficultas spirandi & delirium acciderit, lethale est: *4. Aph. 50.*

3. Ex bubonibus febres omnes malæ, præter Ephemeras: *4. Aph. 55.*

4. In febribus circa ventriculum fortis æstus, & in ejus orificio morsus ac dolor, malum: *4. Aph. 65.*

5. In febribus ex somnis timores & convulsiones, malum: *4. Aph. 67.* Omnis somnus lædens ægrotum, periculosus est, juvans verò salutaris: *2. Aph. 1.* Et à somno delirium, semper pessimum est signum: *2. Aph. 2.*

6. Frigidi sudores cum acuta febre, mortem, cum mitiori, longitudinem morbi significant: *4. Aph. 37.*

MORBUS GALLICUS. 13. *Morbus Gallicus* seu Neapolitanus, *Lues Venerea*, vel Scabies Gallica, est morbus occultarum qvalitatum malignus & contagiosus à Veneno Venereo seu excremento quodam putrido & peculiariter virulento ex contactu, aut hæreditate natus, actionesque naturales potissimùm sensibiliter lædens & varia horribilia symptomata inferens. De ipsius causis, signis & curatione seqventes Authores legi possunt: ex. gr. *Bald. Timæus* von Güldenklee *l. 3. Epistol. epist. 15. p. 174. & l. 5. epist. 20. p. 381. & epist. 21. p. 383. & in Cas. Med. l. 2. de venen. morb. cas. 1. p. 305. & cas. 2. p. 308. & cas. 3. p. 309. Duncanus Liddelius in Arte Med. l. 3. cap. 12. de Lue Vener. p. 449. Franc. Joel. l 10. sect. 3. de Lue Vener. & affect: Cutan: pag. 550. Godfr. Steeghius Med: Pract: l. 7. de morbis venen: qui per contactum concipiuntur cap. 9. p. 343.*

MORBUS HUNGARICUS. 14. *Morbus*, quem *Hungaricum* hodiè vocant, sive militarem, aut castrensem, Germani die Ungarische Haupt-Kranckheit/ febris ardens est continua, maligna & contagiosa, à magna & vehementi cordis irritatione orta, ex humorum singulariter corruptorum effervescentia p. n. aërisque vitiô producta, cum cephalalgia continua, dira cardialgia, aliisque gravissimis symptomatibus affligens, & functiones omnes destruens. Differentias, causas, signa prognostica & curationem habent seqventes Authores: *Lazarus Riverius Prax. Med. l. 17. de febribus in genere & in specie*

sect.

sect. 2. p. 507. usq; 528. F. Os. Grembs in specie l. 2. cap. 3. de febribus malignis p. 416. n. 1. usq; pag. 423. n. 32. Franc. Joel. de febribus biliosis tom. 5. sect. 2. p. 18.

15. 16. 17. 18. Morbos ab *Hirudinibus* deglutitis, ictu *Vesparum, Plumbo* & *Sangvine Taurino*, eorumque causas, symptomata, & curationes *supra Cap. VI.* ex *Timæi Casibus* proposuimus, de quibus etiam legatur *Felix Platerus tract. 3. de Vitiis cap. 16. p. 1026.* HIRUDO. ICTUS VESPARUM, PLUMBUM, SANGVIS TAURINUS.

19. *Icterus niger*, sive Arqvatus niger affinis Scorbuto est procedens ab effusione melancholici & peculiariter corrupti, interdum biliosi humoris in summam cutem: vel à bile adusta atque assata, inque vesicula fellea diutiùs detenta, & ex vasis posteà in ambitum corporis effusa: Venenô item assumptô: videlicet ex ictu aranearum, vel ex morsu venenatæ bestiæ, ut viperæ, aut aliorum ortum ducens. Humor iste utplurimùm melancholicus est, & quia à liene propter ejus imbecillitatem non attrahitur, in totum corpus se diffundit, & cutem inficit. Quod fit etiam, quando facultas jecoris à sangvine segregare, & per venas ad lienem eum expellere neqvit: item propter obstructionem, scirrhum, aliumve tumorem, aut vias & venas obstructas, per quas à jecore attrahitur, aut à liene propellitur. Causæ, differentiæ, signa & curatio ex sequentibus Authoribus videantur: *V. Philipp. Grülingius in Med. Pract. l. 3. part. 5. cap. 1. p. 301. Franc. Joel l. 5. sect. 2. de morb. Lienis & Ictero nigro p. 382. Daniel Sennertus in Instit. l. 3. part. 3. cap. 7. p. 339.* Seqvuntur ICTERUS NIGER.

20. *Morbi à Fascino*, incantamentis ac veneficiis inducti: (quò etiam pertinet Erotomania, seu amor insanus à philtris oriundus,) qui nihil aliud est, quàm deliriũ s. depravatio functionum cerebri & cordis cum furore ac audacia, ab accensione spirituũ per philtrũ, aut fascinum inducta dependens. Fascinatio, testante *Martino Delrio disq. Mag. tom. 2. l. 3. q. 4. sect. 1. p. 42.* nascitur ex pacto: ita ut aspiciente venefico, vel laudante, Diabolus modis sibi notis lædat eum, quem dicimus fascinari. Fascinum autem est perniciosa qvalitas cacodæmonum arte illata, ob tacitum expressumve hominis & Dæmonis pactum. Hanc malam qualitatem Diabolus per aërem ambientem diffundit, aërem autem ita infectum homo respirando, per arterias, ad cor attrahit, unde labes & tabes mox toti corpori communicantur. Fascinatio medicè considerata est maligna consumptio universi corporis ob facultatem nutritivam totius frustratam à vi malefica. De Philtris scripserunt MORBI à FASCINO.

Andreas

Andreas Cæsalpinus l. 3. de Venenis spiritu illatis, *Martinus Delrio disq. Mag. tom. 2. l. 3. q. 4. sect. 1. p. 29. & 31. Fernelius l. 2. de abd. rerum caus. cap. 16. p. 124. Philippus Salmuth. in Obs. Medic. Cent. 3. obs. 34. p. 126. Petrus Monavius apud Laurentium Scholzium Epist. 231. Balduinus Ronsæus Epist. Med. 48.*

Liceat unum Exemplum & observationem meam de Philtris proponere.

Anno 1662. die 14. Julii, cum adhuc in oppido Misniæ Stolberga habitarem, & ut Pharmacopœus proximum consiliis adjuvarem, accedebat me Lanificus quidam Adolescens annorum 23. mihique referebat, cum ante septimanas tres in itinere ex Bohemia in caupona cujusdam pagi pernoctâsset, & ancillam quandam, quæ ibidem aderat, per 3. dies amare incepisset, illam abeunti sibi pulcherrimum pomum dedisse, quod posteà sitim ex æstu percipiens in itinere se comedisse dicebat: mox autem nauseam & tormina ventris circa umbilicum se percepisse, sudoresque copiosos emisisse narrabat. Petitô meô consiliô, interrogatus respondebat, seqventia symptomata se sensisse:

1. quidem tensiones hypochondriorum usque ad præcordia & diaphragma, quæ anxietatem, dolorem cordis, respirationemque difficilem reddebant.

2. à dextro latere in sinistrum & vice versâ dolorem se percipere dicebat currentem ad scapulas & humeros, usque ad caput: illudque turbari vaporibus crassis, ita ut ob oculos crassam nebulam versari putaret, sibique videri anteà pulcherrimam Amasiam nunc colore nigro in facie apparentem: ob tristitiam insuper solitudinem sibi placere, & sæpè alta suspiria mittendo sibi persvadebat, à Diabolo se tentari.

Tensiones itaque & inflationes corporis in hoc juvene à veneno per philtrum communicato, & ad ima corporis penetralia jam se insinuante, partibusque principalioribus bellum indicente, ortum procul dubio traxêre: hinc etiam nata est anxietas & dolor cordis, diaphragmatis ac orificii ventriculi vellicatio: sangvis etiam viscidior circa cor stagnans partes cordis distendit, & anxietatem parit. Assiduè de Amasia sua cogitabat, ob irreqvietam phantasiæ circa amatoria objecta occupationem: more Melancholicorum, qui teste *Lazaro Riverio in Inst. l. 3. sect. 2. p. 60. de effectu act. animal. & l. 1. Prax. Med. cap. 14. p. 228. de melancholia,*

lia, & *l. 4. cap. 30. de animi pathemat. p. 145. Daniel Sennertus in Inst. l. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4. de caus. symptom. inter. pag. 403.* ab eo, quod mente semel conceperunt, vix abiguntur, deq; eodem semper cogitant: quandoque & meditantur, & interrogati, quid meditentur, ipsi nesciunt. Crebra suspiria & vigiliæ multæ comites sunt tristitiæ: his levari se credit æger, cùm enim oriatur anxietas ex distensione præcordiorum, in suspiriis verò major fiat exspiratio, hinc prolapsis aliquantum pulmonibus distensio fit levior, & in anxietate levamen aliquod sentitur. Solitudinem amat patiens, seu ob humoris melancholici tenebricositatem, quæ solitudinem & tenebrarum amorem ingenerat: seu quod Melancholici intenti suis imaginationibus, se præsentiâ aliorum impediri putant, ob quam causam omnes etiam alii tristes consvetudinem & consortium hominum fugiunt, ac solitudinem amant, ut rectè sentit *Sennertus in Inst. l. 2. part. 3. sect. 2. cap. 4. de caus. sympt. sens. internorum.*

Ex recensitis mihi in mentem veniebat observatio, quam habet *Salmuth. Cent: 1. obs. 70. p. 44.* & quia indicia sumpti philtri manifestè aderant, ante omnia in causam inquirebam materialem: an scil. solis signis magicis & superstitiosis, an verò aliis rebus, v. g. sangvine menstruo, de quo *Petrus Borellus Cent. 1. obs. 65. p. 67.* agit: vel semine, aut urina, &c. iste affectus sit productus: qværebam porrò ex ægro: An carnaliter cum illa ancilla se copulâsset? at ille respondebat, minimè: sed halitum maximè fœtidum ex ore ancillæ se excepisse affirmabat, morbumqúe ex esu mali tandem contraxisse. Curationem aggressus pro primo dedi ei, Vomitorium seqvens:

℞. *Vitri ♁ ii. gr. xviij. inf. per noctem in aq. Cinamomi unc. ij. stent in loco calido per noctem, manè filtr. D. S.*

Brech-TränckLein auf 1. mahl.

Post assumptionem semihorâ elapsâ ego vocatus, ægrum clausis oculis & ore clausô cum stridore dentium absque ratione inveni, mox itaque instrumento ipsius os aperiri, & cochlearia 2. jusculi pingvis ipsi exhiberi jussi: tunc evomuit per vices materiam varii coloris, fermè spermati ranarum similem, copiosam & fœtidam, & posteà qvievit per horam. Vesperi pro confortatione dedi pulverem seqventem:

℞. Pulv. Bezoard. alb.
Lap. Bezoar. Oriental.
♁ ii diaphoret. fix. ana gr. viij.
M. D. S. Hertzstärckendes Pulver
gegen die Nacht zu nehmen.
℞. Aq. Cordial. compos. unc. ij.
D. S.
Wasser zum Pulver.

Quibus ita administratis, benè subseqvente nocte dormivit. Die seqventi bonis cibis & jusculis absque medicamentis nutritus est; tertio autem die pro evacuatione ordinavi potiunculam seqventem:

℞. Fol. sen. s. s. unc. ß.
Rad. Elleb. nigr. præparat. drachm. ij.
flor. hyperic.
buglóss.
borrag. ana p. i.
Cinamomi ac. scrup. ij.
Sal tartari scrup. i.
inf. in s. q. aquæ flor. hyperic.
& scordii per noctem:
manè fiat expressio, colat.
add: syr. de pomis lax: drachm. vj.
Tinct. Tartari ♁ at. drachm. i.
M. f. Potio. D. S.
Purgier-Träncklein auf 1. mahl.

Purgatus inde absque virium debilitatione per 12. vices ejecit copiosam materiam, adustam, fœtidam, & vermem simul mortuum longitudine 4. digitorum coloris cineritii cum capite nigro: die 4. ne materia noxia & venenum in visceribus pedem figeret nobilioribus, sed per cutis poros expelleretur, sudoriferum seqvens exhibui:

℞. Tinct. Bezoart. Mich. drachm. i.
spir. secund. human. drachm. ß.
Aqv. Theriacal. comp.
scordii ana drachm. vj.
sirup. de tot. citr. drachm. ij.
M. ad fict. D. S.
Schweiß-Tträncklein auf 1. mahl morgens frühe.

Pol

Post sudorem valdè debilitato ægro ad confortationem præscripsi potiunculam seqventem :

℞. *Aqvar. Anagallid. rubr. fl.*
hyperic.
scordii, ana unc. ij.
Conf. Alkerm. compl. drachm. ij.
Lap. Lazul. præparat. drachm. i.
syr. fl. tunic. cum succ. cerasor. unc. iß.
M. D. S. Stärck-Tränckleín/ darvon öffters 1. Löffel wohl umbgerüttelt.

Die sextô, quô patiens meliùs habebat, venam Medianam brachii dextri secare mandavi, & , cum plethoricus esset, missus est sangvis ad unc. viij. quô factô per DEI gratiam & reiterationem per 14. dies dictorum medicamentorum, convaluit æger ad votum.

21. *Lepra* Arabum, seu Elephantiosis Græcorum est morbus omninò gravis, & utplurimùm incurabilis : Gravis quidem est ipsi ægro, & fædus conspicientibus. Tali morbô correpti sunt omninò vitandi cùm propter contagium, tùm etiam propter aërem viciatum, qui ex inspiratione & respiratione fœtidus redditur ob narium ulcera. Tumor est totius corporis universalis cancrosus, contagiosus & gravia inferens symptomata, ex atra bile venenosâ qvalitate infectâ & in totum corporis habitum effusâ ortum habens. Vocatur universi corporis Cancer. Lepra dicitur quasi à Lupo, quia omnia membra, ut Lupus, destruit ac corrumpit : à Græcis Elephantiasis dicitur, quoniam cutis Leprosi corio Elephantis similis videtur ; nam inficitur quibusdam maculis in atrum colorem vergentibus, inæqualiterque aspera, crassa ac veluti sqvamis fœda, livens, ferinaque redditur. A quibusdam vocatur Morbus Sancti Lazari, item Alphos, Melas & Morphæa, quia maculæ magnæ cuti, cujus & quandoque pilorum colorem nunc in album, nunc in nigrum commutant, sparsim cum asperitate quadam insident, à sangvine pravo & malè disposito ortæ. De hoc affectu videri possunt *F. O. Grembs l. 2. cap. 1. §. 11. de defect. reliquor. sens. p. 200. n. 47. usque 202. n. 57. Bertrucius in Coll. Med. l. 2 tract. 4. cap. 4. fol. 256. de Lepra, Andr. Cæsalpin. l. 4. cap. 13. p. 256. & cap. 14. p. 259. & cap. 15. p. 262. Godfr. Steeghius l. 13. Med. Pract. cap. 23. p. 529. & l. 8. cap. 7. p. 115. Benjam. Scharff. de ven. qualit. cap. 15. p. 178. Petrus Johan. Faber in sapient. universal. de Lepra l. 3. cap. 1. p. 331.* LEPRA.

22. 23.

MORBILLI & VARIOLÆ. 22. 23. *Morbilli & Variolæ.* Morbilli, Germanicè die Maßern/ sunt tubercula minora seu maculæ potiùs rubræ, parvæ, interdum malignæ, in cute erumpentes, ab inordinato humorum motu & vitio, inprimis tenui & utplurimùm inflammato sangvine cum febre continua, absque suppuratione ortæ. Variolæ autem sunt pustulæ, seu tubercula, vesicularum specie plerumque alba, in ambitu rubra, humore plena, pruriginosa & dolentia, Germanicè Kinderbocken oder Blattern / (quibus infantes nonnulli non tantùm semel, sed & bis & ter laborare consveverunt,) ab humoris sangvinei corrupti seqvestratione seu depurationem sui molientis & novum quasi statum quendam affectantis indefeßâ commotione seu ebullitione ac fermentatione p. n. in cute summa & partibus ei vicinis excitata cum febre continua, suppuratione atque contagio, interdum malignitate conjuncta. De his legantur Authores: v. g. *Franc. Joël l. 9. sect. 5. de extern. & univers. tot. corpor. puerorum affectibus cutan. p. 518. & l. 10. sect. 3. p. 540. Bald. Timæus* von Guldenklee *l. 5. Epistol. epist. 16. p. 309. usque 319. & l. 8. de febribus cas. 28. p. 385. F. O. Grembs l. 2. cap. 3. de febr. malign. morbill. & variol. p. 424. n. 37. usque p. 431. n. 62. & alii.*

MORSUS SERPENTŨ. 24. *Morsus Serpentum* in *præced. Capite* describitur, ejusque ex *Casibus Timæi* curatio proponitur: videatur *Timæus l. 5. Epistolarum epist. 16. p. 374.*

FEBRIS PETECHIALIS. 25. *Febris petechialis*, puncticularis, pulicaris, lenticularis, purpurata seu febris purpurea est morbus intemperiei calidæ, malignus, contagiosus, maculis in cutis superficie versicoloribus sine pruritu & protuberantia erumpentibus conspicuus, à præternaturali massæ sangvineæ effervescentia & fermentatione maligna dependens, gravissimaque symptomata inferens. De hac videantur seqventes Authores: v. g. *Johann. Thomas Minodæus l. 1. de febre maligna cap. 3. Paulus* Neu-Crantz *cap. 15. Primerosius l. 4. de febr. cap. 3. p. 410. Sennertus in Inst. l. 5. part. 2. sect. 1. cap. 17. p. 1168. Bald. Timæus l. 8. de febr. cas. 24. p. 373. & alii.*

FEBRIS PESTILENTIALIS. 26. *Febris pestilentialis*, morbus est maximè malignus & contagiosus, interdum populariter grassans, nonnunquam epidemius, immissus à DEO in pœnam, ulciscentem enormia scelera hominum per venenata seminaria pestis in aëre sparsa, ac deinde per contagionem in multos propagata.

Pestis

Pestis est morbus epidemius contagiosus ac venenatus, occultâ veneni sui qvalitate è diametro vitæ humanæ contrariâ Cor affligens, ejusque spiritus dissipans & depascens, ac omnis generis periculosa, & utplurimùm lethalia symptomata inducens. Oritur scil. à miasmate venenato ex aëre primùm suscepto, deinde per contagium propagato, cordique communicato, malignamq; cordis irritationem excitat, ejusque actiones subitò & principaliter cum omnis generis symptomatum graviorum congerie lædit. De Peste scripserunt *Bertrucius l. 2. tract. 1. fol. 235. Franc. Joël sect. 3. p. 41. de febribus & venenis, Bald. Timæus* von Güldenklee *l. 4. Epistol. epist. 17. p. 319. & epist. 18. p. 320. & epist. 19. p. 322. & alii plurimi.*

27. *Scorbutus*, seu Schorbutus mutuatô nomine à Belgis, quibus audit Schoorbuyck/procul dubiô ab effectu, quia magnos cruciatus, sævissimaque ventris tormina infert, Danis nominatur Schörböck: Saxonibus Schürbück / Schorbock & Scharbock: si gingivas erodit, exulcerat, dentesque sic laxos & vacillantes efficit, Schormund; si verò crura affligit, Schorbein: ob exortas autem maculas Blauschyet vel Blauschmitt: refer. *Roder. à Castro de morbis mulier. cap. 23. p. 306.* appellitantur. *A Regneto Snoy & Davide Crusio l. 2. theatr. herm. cap. 4.* dicitur Gingipedium; & quia brachium quoque afficere solet, Gingibrachium; secundum *Forestum l. 20. Observ. schol. 11. p. 301.* Germanô idiomate vocatur non incommodè judicante *Petræo in nosolog. harm. p. 2. dissert. 38. §. 2.* Schorbein. ab *Olao Magno in histor. de Gentibus Septembr. l. 16. cap. 51.* ad morbos castrenses refertur. Alii Stomacacen, quasi κακὴν seu κακίαν, die Mundfäule salutant, quia plerumque gingivas erodere, exulcerare, orisque partes fœdissimâ putredine affligere solet. Quidam Icteri nigri speciem esse autumant; quia ut in hoc, ita & in Scorbuto, non solùm maculæ in corpore sensim efflorescunt, sed & totum corpus quandoque lividum reddunt: vid. *Levin. Lemnius de occult. nat. mirac. cap. 17. p. 120.* Est prava & occulta totius ferè corporis, ejusque partium dispositio, à serosa & salina sangvinis cacochymia specifica malignitate infectâ, viscerum primæ ac secundæ coctioni famulantium vitiô producta, & cum sangvine in omnes partes effusâ, oriunda. Infert Scorbutica hæc cachexia molestam & occultam corporis pravitatem, lassitudinem spontaneam, SCORBUTUS

 cru-

crurum debilitatem ac maculas, oris graveolentiam, gingivarum intumescentiam & sangvinolentiam, dentium laxitatem & alia symptomata, à sangvine crudo & ichoroso, specificè corrupto, producta. Huc referri potest cognatus valde affectus, Arthritis scilicet vaga scorbutica (quæ & Varorum & Varenarum nomine venit) & nihil aliud est, quàm dolor partium nervosarum ac tendinosarum vagabundus, acutus, exedens & corrodens, à sale scorbutico volatili, sive sero sangvinis acri effervescente, & in partes dictas irruente, ortus. Hunc affectum prolixè tractant *Francisc. Joël l. 2. sect. 5. de Gingiv: eros: p. 241. F. O. Grembs l. 2. cap. 1. S. 4. de splenet: morb: pag. 196. n. 95. Philippus Grülingius in Med: Pract: l. 5. part. 1. cap. 3. p. 480, & alii plures.*

ULCERA MALIGNA. 28. *Ulcera maligna* sunt dissepulota, dolorifica, maligna, contumacia, rebellia, Cacoëthe inveterata, chironea & telephia: hæc ulcera, teste *Galeno l. 4. de Comp: Medic: sec: genera*, debent curari medicaminibus valentioribus, aut imbecillioribus, prout magis, aut minùs maligna sunt. *Cornelius Celsus* de hujusmodi ulcere loqvens, ait: *Chironeum ulcus appellatur, quod & malignum est, durasque habet oras, callosas & tumentes: ex quo exit sanies non multa, sed tenuis: odor malus, nulla inflammatio, dolor modicus, nihil serpit, sed difficile sanescit, interdum inducitur cicatrix tenuis, deinde iterùm rumpitur.* Datur quoque aliud ulcus ex bile non naturali, & adustâ: *Authore Tagaultio*: vel Herpes exedens, seu depascens, quod in circuitu cutem erodit: vel Phlagedæna, quæ cum cute pariter substantiam carneam altiùs erodit. Hujusmodi ulcera erodentia cacoëthe, id est, maligna dicuntur. Horum multæ sunt causæ. Videantur seqventes Authores *de Bubone & Carbunculo, Sebastianus Cortilion. in Inst. Chir. l. 2. cap. 18. p. 429. de bubone cap. 5. p. 535. de ulceribus in genere, Johan. Phil. Gieswein p. 360. Sennertus in Inst. l. 2. part. 1. cap. 4. de morbis tot. substant. p. 155. Timæus* von Güldenklee *l. 6. de morb. part. extern. cas. 26. p. 288. de ulcere Rheumatico & cas. 27. p. 289. & cas. 28. p. 290. & in Respons. de Parotide maligna resp. 44. p. 107. & alii plurimi.*

CAP. VIII.

CHIRURGICA tractat: Externa alia describit, & obiter de AMULETIS agit.

PRimarium & generosissimum Fontis Chirurgici in omnibus ferè febribus, etiam malignis auxilium VENÆSECTIO est, materia

materia præsidii, sangvinem seorsim ex vena sensibiliter evacuantis. In virium imbecillitate verò, qualis adest Venenis jam altiùs insinuatis, & ubi vires valdè prostratæ sunt, administranda non est, ne vires aliàs exhaustæ magis magisque debilitentur: distingvimus ergo in malignis febribus & aliis morbis venenatis inter aliqualem, & inter extremam virium debilitatem. In hac disſvademus, in illâ concedimus. Hîc tamen mediocritatis limites non violari, sed pro ratione necessitatis & virium emitti sangvinem volumus: quia notum est, quòd tota sangvinea massa perpetuô motu non solùm in venis majoribus, sed minoribus etiam circuletur; aliàs enim in venis exilibus putresceret, & sic sangvis tam laudabilis, quàm corruptus, tam in his, quàm in illis adesse potest. Deinde si malignitas illa per poros in extremitates venarum & arteriarum vix conspicuos sese insinuans, à Naturâ repelli non potest, dicimus cum *Hieremia Thriverio in Meth. Univers. Medic. p. 113.* quòd in febribus omnibus, ut & malignis, variolis, morbillis & petechiis, & quidem in principio, ante quartum morbi diem, Venæsectio fieri possit, non ad malignitatem tollendam, sed sangvinem æstuantem minuendum & refrigerandũ, spiritusq; reficiendos: præsertim in iis, qui sunt plethorici, assveti & juvenes, quibus vires non adeò sunt prostratæ, & quibus hæmorrhoides & menses suppressi sunt. Tantum autem sangvinis emittendum, quantum ætas, sexus, morbus & vires permittunt.

Externa quod attinet, & quæ industriâ Chirurgicâ applicari possunt, seqventia laudantur: (venenosi enim morbi plerumque propriis sanantur Antidotis.)

1. Igitur adversus Apum & Vesparum ictus prodest illita malva, & hordeacea farina cum aceto, ficulneum lac in vulnus instillatum, & muriæ, vel aqvæ salsæ seu marinæ fotus.

2. Apum aculeos infixos sanat mel, teste *Joh. Qvercetan. in tetra: de Cap. affect. cap. 30. p. 361.* item in dolore sedando Apes contusæ cataplasmatis modô icto loco imponantur.

3. Araneus, Mus, qui morsum intulit, dissectus, si apponatur, ictus sui maleficia luit.

4. Balneum Scabiem, Lepram, Ulcera maligna & omnia cutis vitia sanans:

℞. fol. qvercus, farinæ pisorum ana M. xiij. incid. folia & coq. in aqua pluvialis q. s. In hoc Balneo insideat æger quotidiè

manè

manè & vesperi : & quando egreditur, cutis infectiones pennâ in seqventi mixtura intinctâ laventur, & per se exficcentur. ℞. Aqvæ plantaginis unc. xviij. ol. ligni sancti unc. ij. Misce. Ulceribus vero Emplastrum diasulphuris imponatur.

5. Bufoniô Lapide in capite bufonis repertô ejus morbi curantur.

6. Bufonius pulvis morsui venenato impositus venenum attrahit.

7. A Bufonis urina læsi à bufone ficco impositô restituuntur.

8. Candelæ odoriferæ contra omnia Venena & Pestem:

℞. Laudani unc. j. & ß. styrac. cal. drachm. v. asæ dulc. drachm. iij. olibani drachm. vj. flor. stœchad. unc. j. rosar. rub. unc. j. & ß. caryophyll. unc. j. & drachm. ij. cortic. Citri santal. citr. ana drachm. j. granorum juniperi drachm. ij. Ambræ, moschi ana gr. viij. carbon. Tiliæ unc. xxiv. Hæc omnia cum gummi Tragacanth. in aqua rosarum dissoluta cogantur in massam, & form. candelæ.

9. Canis rabidi morsum sanat urina canina : cui etiam ejusdem canis pili imponuntur, qui ex vulnere venenum attrahere creduntur.

10. Cataplasma insigne contra quemvis ictum venenatum:

℞. Gummi galbani, ammoniac. opopanac. bdellii, ceræ ana q. s. ol. com. lib. j. vel ij. spumæ argenti unc. xvj. ol. Laurin. unc. ij. myrrhæ, olibani, mastich. aristoloch. long. ana q. s. lap. Calamin. præpar. unc. j. camphor. unc. ß. terebinth. parum f. l. a. quicquid dissolvendum est dissolvendo cataplasma. Valet contra quemvis ictum venenosum, item vulnera ab infectis tormentorum globulis illata, & mirabilem curandi vim habet.

11. Caudæ cervinæ venenatæ comestæ os cordis cervi succurrit teste *Bald. Angelo Abb. de viper. natur. p. 91.*

12. Emplastrum ad recentia vulnera, sinus, canum hominumq; morsus, condylomata inflammata & venena:

℞. Picis nigræ, ceræ, resinæ pini, picis græcæ, bituminis ana unc. viij. lithargyrii drachm. v. cerussæ, æruginis ana drachm. ij. & ß. opopanacis drachm. j. & ß. olei com̃. q. s. terenda terantur & contundantur in mortario cum aceto forti : reliqua liqventer, misce, coqve, donec non ampliùs manus inqvinet : si voles sedando dolori aptius reddere, adde succ. hyoscyami, opii ana unc. ß. M. f. Empl.

13. Aliud

13. Aliud Emplastrum ad quadrupedum ictus, & reliqva venenata vulnera:

℞. Spum. Argenti, olei veter. sqvamæ æris, ceræ, resinæ ana p. æ. gum̃. am̃oniac. galbani in aceto dissol. ana unc. ij. minii unc. iß. Argenti spumam, sqvamam & oleum ad spissitudinem usque coqvito, deinde ceram & resinam injicito, cum liqvata fuerint, ab igne tollito, & gummi indito: agitatis tandem minium inspergendum.

14. Aliud Emplastrum ad canum hominumq́ue morsus: item ictus pastinacæ marinæ:

℞. Argenti spumæ, ceræ ana p. æ. terebinth. mannæ, olibani, galbani, minii ana unc. j. ol. com̃. q. s. coqvantur & misc. s. a. facit ad cruenta vulnera & nervos præcisos curandos: item ad vetera cicatricem ægrè ducentia & fluentia ulcera: quin & probè emollit duros tumores maximè in mammis orientes: felicissimè utimur eô ad canum hominumq́ue morsus: sum̃è facit ad pastinacæ marinæ, draconis, aliorumq́ue sævorum piscium ictus.

15. Aliud Emplastrum attrahens optimum:

℞. Gum̃. cort. med. sambuc. tiliæ per coctionem extractæ ana unc. ij. lap. Magnetis præpar. unc. j. succin. citrin. præparati unc. ß. opopanac. dissol. in succ. bistort. drachm. iij. terebinth. ceræ ana q. s. M. f. Empl. Venenum è vulneribus elicit, glandem plumbeam, ferrum, ossa, ligna & vestium fragmenta ad se trahit.

16. Globuli contra aërem pestilentem:

℞. Laudani drachm. iij. pul. rosar. rubr. radic. calam. arom. iridis dictamni cret. Angelicæ, cinamomi, santal. citr. nuc. moschat. ana scrup. ij. asæ dulc. drachm. ijß. ambræ scrup. j. mosci gr. xv. styrac. cal. unc. ß. cum gum̃i arabico, vel tragacanth. in aq. ros. dissolut. f. globuli s. a. inungantur oleo Benzoino.

18. Murium morsus murium combustorum pulvis sanat: murium urinæ noxam idem cinis emendat, inspergendus, antequam caro exesa sit.

17. Medulla crurum cervi si inungatur, venenata fugere creduntur.

 19. Ole-

19. Oleum Scorpionum compositum contra omnia Venena, & ipsam Pestem:

℞. Radic. aristoloch. rotund. gentianæ rub. cyperi, cort. rad. cappar. ana unc. j. ol. Amygdalar. amar. unc. xxiv. macerentur in oleo contusæ radices ad solem fervidum diebus 20. vase clauso: deinde coqvantur aliquantulum in duplici vase, injectis tandem scorpionibus vivis no. xx. Iterum in infusione diebus 30. relinqvantur. Postremò colatum oleum reponatur.

20. Placenta contra Pestem:

℞. Arsenic. alb. Crystallin. unc. iij. rubri unc. ij. cum ovi alb. vel mucilagine tragacanth. fiat massa & posteà placenta rotunda crassitudine digiti, quæ insuatur linteolo, superadditô sericô, & admoveatur cordi.

21. Pomum Ambræ ad aërem pestilentem:

℞. Gumi laudani, styrac. cal. ana drachm. j. caryophyll. ol. nuc. moschat. camphor. ana scrup. jß. cum mucilagine tragac. e. aq. rosarum parat. f. l. a. Poma sive Orbiculi.

22. Sacculus externus pro corde contra Pestem:

℞. Lap. smaragdi, sapphyri, hyacynthi, rubini, corall. rub. alb. ana drachm. j. croci scrup. j. margaritar. Or. drachm. ß. arsenic. alb. drachm. ij. ambræ gr. vj. rad. irid. Florentin. unc. ß. C. C. usti drachm. j. auripigmenti unc. ß. terantur omnia, & fiat sacculus cum sindone purpurea, cordisque regioni apponatur.

23. Serpentum axungia etiam commendatur adversus suos morsus, item Castoreum: *Joh. Qverc. in tetra. C. 30. p. 361.*

24. Serpentum capita trita & extrà imposita contra serpentum ictus comendat *Bald. Angel. de Vip. 3. 28. 36. 45.*

25. Scorpionum ictibus urina hominis medetur, ut & Aconitum impositum.

26. Scorpiones triti crudi & impositi suæ plagæ remedium sunt, *Joh. Qverc. in tetr. cap. 30. p. 361.*

27. Suffimentum perfectum ad aëris corruptionem:

℞. flor. rosar. rub. spic. nardi, ligni aloës, costi, rorismarini, mastich. santali rubri, bdellii, laudani, olibani, croci, cort. colocynth. styrac: liqvid: ana drachm. jß. cardamomi, cubeb: camph: ana drachm. ß. gr. xv. moschi gr. vj. terantur, cri-

bel-

bellentur, & conficiantur cum aqua rosarum & mucilagine tragacanth. q. s. Trochisci parvi, qui siccentur in umbra, ex quibus sufficit unus ad suffumigandum super carbonibus.

28. Viperæ morsui fimus caprinus cum vino admixtus & impositus succurrit, ut & Aconitum & carduusbenedictus, vid. porrò *asylum langventium Dn. D. Georgii Christoph. Petri, Med. Elect. Mogunt. Fac. Med. in perantiquo ad Hieram Lyceo Assessoris, edit. Jenæ 1669. cap. 11. pag. 216. usque 225.*

29. Ungventum attrahens Venenum ex vulneribus:

℞. succi Anagallid. purp. cyclamin. ana unc. j. sulphur. vivi mixti cum saliva hominis jejuni unc. ß. M. f. l. a. Ungventum.

30. Aliud Ungventum ad vulnera venenata:

℞. ol. destillati succin. citrin. terebinth. ana unc. j. juniper. drachm. ij. pulv. sem. urticæ rad. gentianæ ana drachm. ij. spir. Vitrioli drachm. jß. ceræ q. s. f. l. a. Ungventum, add. corall. rubr. præpar. drachm. j.

Zenexta, Pentacula, Periapta, Amuleta, Latinis ab *amoliendo* dicta, quæ ex mineralibus vegetabilibus & animalibus constant, non sunt negligenda, teste *Guern. Rolfinc. in Chym. in art. form. redact. l. 5. sect. 14. cap. 1. p. 450.* aguntque duplici modo, tam manifestis, quàm occultis qvalitatibus. De collo pendentia, vel carpis applicata, cum incalescunt contactu corporis, effluvia quædam effundunt, eaque cutaneos per poros insinuant, indequecum sangvine refluo ad Cor, centrum vitæ deferunt, ubi suas exserunt facultates: *Zwelfferus in Pharm. Reg. p. 142.* judicat, quòd in zenextis occultæ qualitates resideant, & per actiones venenorum, & alexiteriorum producantur. *Digbæus de immortalitate Animæ p. 206. cap. 18. de attractione, quæ per calida fieri potest,* ex operatione magica Amuleta derivat. *Franc. Osw. Grembs l. 1. cap. 7. de ortu rerum,* dicit: Metalla aperta in salis naturam conversa retinent sua semina in gradum exaltata, & fiunt Amuleta. *Julius Reichelt de Amuletis §. 1.* illa ex metallis, lapidibus, aliisq; corporibus naturalibus, characteribus & imaginibus insignita, Astrologicè tractat, eaque ex mente *Vossii Etymolog. p. 27.* Amoleta ab amoliendo vocat: collo, vel reliquis corporis partibus alligantur, vel quomodocunque adjunguntur, vel in vestimentis gestantur, vel certô locô ponuntur, ad depellendos morbos, modò naturali & non superstitiosô, ad corporis firmitatem conservandam. Com-

mentaria & Scriptores de illis legantur prolixè apud *dictum* Melchein *p. 2. 3. §. 4. 5. 6. 7. 8. & p. 6. §. 19.*

Martinus Delrio in disquisit. mag. l. 1. cap. 4. quæst. 4. p. 96. de *Amuletis* ita sentit: Amuleta, quæ collo dependent, vim nullam obtinent naturalem, ratione verborum, characterum, vel figuræ, vel constellationis: sed duntaxat ratione materiæ, si qua huic antipathiæ, vel sympathiæ vis naturalis insit.

Divus Basilius tamen *homil. in Psal. 45.* damnat periammata: *P. Forestus Observ. Curat. part. 9. obs. 52. p. 273.* rejicit amuleta characteribus magicis insignita: Cui assentit *Delrio disq: mag. tom. 2. l. 3. p. 2. quæst. 4. sect. 3. p. 169.* hanc superstitiosam curam etiam improbat *Bald. Timæus* von Güldenklee *Cas. Med. l. 8. de febr. cas. 20. p. 367.* de Amuletis videatur etiam *Johan. Daniel Mylius in Antidotar. Chym. l. 1. cap. 6. p. 60. Guernerus Rolfincius in Arte Chym. l. 5. sect. 14. cap. 3. p. 415. de Amuletis Chymicis ex Cordialibus & Venenis* exempla proponit.

Johann. Pharamundus Rhumelius in Jatrio Chymico p. 629. n. 8. contra imaginationem seqvens describit: ℞. Lap. Malachitæ, unc. ß. corall. rubr. unc. j. cum succo chelidoniæ & mucilagine tragac. fiant Orbiculi Cordiales, præcordiis admovendi: & *p. 630. n. 9.* Zenexton contra omnis generis Venena addit: ℞. Antimonii crudi unc. jv. Reguli stellati pulv. unc. ij. Arsenici albi drachm. j. f. cum Tinct. microcos. & mucilagine tragac. Orbiculi cum signo Scorpionis.

Amuleta, quæ ex simplicibus medicamentis appensis constant, non omninò à Medicis improbantur: occultâ enim vi magneticâ effectus sæpè salutares proferunt. Sic *P. Forestus Obs. & Curat. l. 9. obs. 52. p. 271.* in doloribus capitis herbam verbenæ commendat. *Joseph. Querc. in tetra. cap. 13. de affect. capit. p. 156.* radic. pæoniæ, item viscum querc. ungul. alcis ad Epilepsiam laudat, quibus assentit *Godfr. Steeghius in Med. Pract. l. 7. cap. 3. p. 322. de Epilepsia.* Stercus Lupi circa Ilia gestatum, instar amuleti, inqvit *Aëtius cap. 31. tetra. l. 3. sect. 4.* colicos dolores sedat: similis effectus tribuitur ipsius intestinis siccatis & ventri adhibitis.

Radix cynoglossi circa collum alligata, lingvæ nigredinem delet: Res enim parvæ molis solô attactu nonnunquam maximas inducunt alterationes, ait *Galenus l. 6. cap. 5. de loc. aff.*

Dictamnus adhibitus incredibili & specificâ proprietate spicula trahit.

Mer-

Mercurius vivus gestatus à morbis pestilentibus tuetur: vid. *Hoffmannus supra Schröderum l. 3. cap. 15. §. 13. p. 261.* de Mercurio collô suspenso in Lue venerea & incantationibus. Singulari etiam artificiô gestatur alligatus in cingulo corpori contra Luem Veneream, quæ magis esse creditur curabilis in illo loco, ubi cingulum est.

Ætites lapis mammis, aut ventriculo alligatus fœtum retinet, femori adnexus expellit: quod & de radice Hyoscyami traditur.

Selenites annulô inclusus, nudæ carnis contactu, sangvinem è parte quavis manantem sistit.

Viridis Jaspis quâdam proprietate auxiliatur stomacho, ori Ventriculi appensus, ait *Aëtius cap. 35. tet. 1. serm. 2.*

Heraclius lapis, Magnes vulgò dictus, præter miram vim, quam habet ad trahendum ferrum, manu tantùm detentus Chiragricorum & Podagricorum dolores levat. *Godfr. Steeghius in Med: Pract: l. 7. p. 330. cap. 6. de Morbis Venen.* inqvit: Sed & Amuleta quædam de collo suspensa circa axillam sinistram, cor à contagio defendunt, quæ fiunt etiam ex aliis, sed præcipuè ex Arsenici albi parte unâ, rubri arsenici mediâ, radic. gentianæ octavâ, & decimâ sextâ gummi benzoi, cum gummi tragacanthæ, vinô, vel aqvâ rosaceâ solutô, in pastillos sex drachmarum coactis, & sindoni involutis: Laudantur etiam *dicto in loco* sacculi pro corde & carpis.

Viperæ caput collo appensum adversus gutturis morbos efficax est, ut scribit *Jacobus Weckerus*: præsertim corio circumvolutum & collo appensum: *Bald. Ang. de Viper: nat: p. 89. & p. 63. cap. 11.* dicit: Vipera est Amuletum omnium Venenorum.

Amuletum in morsu canis rabidi est dens canis, qui momordit, evulsus & brachio alligatus: item pili ab eodem cane evulsi & vulneri impositi, ad mentionem *Felicis Plateri de funct: læsion. tract. cap. 3. p. 131.* Reliqva de Amuletis & aliis externis L. B. passim apud Authores prolixè tradita inveniet.

CAP. IX.

Alterantia, Corroborantia, malignam qvalitatem domantia, putredinem inhibentia, humores ad ulteriorem eductionem disponentia introducit.

PRæcipuum in Medico, qui ægrum curat, eſt, ut COR benè defendat, ut poſteà feliciùs morbum aggrediatur: Ejusmodi autem medicamenta cor contra omnem injuriam defendentia, dicuntur Cordialia, quæ præter intemperiem cordis, etiam ſpiritus vitales reſpiciunt, eosque odore ſuô gratô reficiunt, vel deficientes reſtituunt, vel diſſipatos leni iterùm adſtrictione congregant, & infectos mundant. Quorum duo ſunt genera, quædam nimirùm calida, quædam frigida.

Inter Medicamenta Venenis reſiſtentia laudantur interna ſeqventia.

1. Aranearum & Phalangiorum morſui & ictibus ſuccurrit ſuccus cancrorum fluviatilium expreſſus cum lacte.

2. Althææ radix in vino decocta & exhibita contra omnes veſparum, apum, ſimiliumque aculeatos ictus valet.

3. Aqva confortans pretioſa ad peſtem, & venena lethalia:

℞. Vini Malvatici opt. menſ. vj. deſtilla ſvavi igne per cineres ex Alembico 4. vicibus. Aqvam vitæ ſic benè rectificatam pone in vitro cum ſeqventibus: ℞. ſpermatis Ceti, Ambræ, elect. rharbarb. opt. ana drachm. ij. moſchi opt. drachm. j. ligentur hæc omnia in ſacculo ex panno raro ſubtili, & benè mundato: hujusmodi ſacculus poſteà imponatur vino ſuprà rectificato, & benè claudatur orificium vitri: ſic acqviret tale vinum aureum colorem: ſi cinamomi aliquid addatur, erit magis delectabile.

Virtutes hujus conſiſtunt in Veneni expulſione. Ad præſervandum contra peſtem datur drachm. j. cum modica medulla panis, præmiſſis purgatione & phlebotomiâ. Infecto tantundem cum mica panis albi, vel etiam plus propinari poteſt.

4. Aqva Cinamomi contra peſtem, venena & venenatorũ ictus:

℞. Cinamomi opt. contuſ. lb. 1. rad. dictamni albi, angelic. ana lb. ß. vini odorati, aqvæ roſar. ana lb. iij. macerentur in obturato optimè vaſe: aqva in B. M. vitreis organis eliciatur.

Hæc aqva in Peſte præcavenda, item adverſus Venena, ac Venenatorũ ictus, ut & ſtomachi cruditates quàm maximè laudatur.

5. Aqva contra Venena lethalia & Peſtem:

℞. Antidoti Matthioli contra venena lethal. lb. 1. ſyr. cort. citri lb. 1. aqvæ vitæ opt. in vitr. organ. deſtill. lb. 5. Miſce in vaſe vitreo optimè clauſo: aqvam in vaſe cum Electuario tamdiu

diu agita, donec omnia dissolvantur. Tum per mensem integrum reponito, bis tamen in hebdomade agitando. Exacto denique mense claram aqvam aureoq; colore nitentem Electuario supernatare invenies, & quæ jam omnem illius vim in se contraxerit. Tum itaque vas ipsum aperias, & in vas aliud vitreum limpidam aqvam paulatim effundas, cujus os cerâ & membranâ accuratissimè obtures.

Tantâ hæc aqva virtute pollet, ut 4. drachmarum pondere pota, vel per se, vel cum pari odorati vini quantitate, vel cujusvis aqvæ cordialis, ubi quis ictus, vel demorsus à quocunq; venenato animali in tanto mortis discrimine versaretur, ut vocem, visum ac reliqvos ferè sensus amiserit, ægrum ingenti cum adstantium admiratione à longo veluti somno excitet. Valet etiam contra Venena, quæ per os sumuntur, ipsamque pestem.

6. Aqva ad Venena erodentia:

℞. Theriacæ, vel specier. dispensat. unc. ij. radic. Enulæ, ireos ana unc. j. succ. bacc. lauri, juniperi, betonicæ, centaurii minor. Verbasci, marrubii ana unc. iij. flor. nymph. violarum, cort. rad. mandragoræ ana unc. j. opii puri unc. ß. excepta alembicô, artificio resolvantur, sed meliùs in diplomate. Non solùm prodest læsis à veneno, quod urit corpus, sed internis doloribus, qui cum febre cruciant.

7. Antidotus Regis Mithridatis contra omne Venenum & Pestilentiam:

℞. Nucum juglandium excort. siccar. unc. vj. ficuum sicc. unc. ß. fol. rutæ drachm. v. salis drachm. iij. omnia hæc in minutas partes concisa aqvâ rosarum imbuantur, neque, ut quidam volunt, terantur. Alii hæc miscent cum succo acetosæ, aut aceto rosato. Nonnulli etiam addunt gran. juniperi unc. ß.

Hoc Antidotum jejuno stomacho sumatur ad qvantitatem nucis castaneæ, estque ad Venenum præservativum non contemnendum.

8. Baccæ juniperi comestæ contra serpentum ictus laudantur.

9. Butyrum recens sæpiùs sumptum præsentissimum est remedium ad qvævis venena: *P. Forestus l. 30. obs. 8. p. 88.*

10. Contra Cantharides vinum dulce, vel liqvor ex uvis passis expressus: vel decoctum uvarum passul. minor. epotum, prodest etiam iis, qui erucas, buprestes & papiliones hauserint.

11. Canis

11. Canis rabiosi morsibus cancrorum fluviatilium calcinatorum ad albedinem cinis, per se, vel adjecto dimidio pulv. radic. gentianæ cum vino medetur.

12. Contra omnium Serpentum Venena pro Antidoto sunt ranæ vulgares, si ex sale & oleo, vel butyro edantur, & earum jus itidem sorbeatur: item jus viperæ teste *Bald. Angel. Abb. p. 94. 95.*

13. Contra omnia Venena mirificè etiam præstat os de corde cervi, quemadmodum in omnibus cordis affectibus.

14. Electuarium confortans mineram omnium virtutum Arnoldi Villanovani.

℞. Roris Majal. coll. de mundis herbis destill. lb. 2. sacchari albiss. unc. iix. Coqvantur lentô igne usque ad consumptionem roris, posteà adde aqvæ destill. florum vel cortic. citri, melissæ ana unc. j. incorporentur ad Solem benè agitando, donec inspissetur: posteà adde aqvæ destill. sangvin. hominis unc. ij. sangv. draconis unc. ß. distempera & misce totum cum suprà dicto saccharo, deinde ℞. croci or. scrup. iiij. balsf. Indic. scrup. j. moschi scrup. ß. pulv. flor. rosar. sicc. unc. ß. ligni. aloës unc. j. corall. rubr. scrup. ij. auri foliati scrup. j. margarit. præparat. drachm. ij. incorporentur, ut fiat Electuarium.

Vires: Cor lætificat, calorem naturalem & spiritus, & principalia membra adjuvat, confortat humidum radicale ab ægritudinibus pestilentibus, & ab omnibus Venenis præservat, juventutem prolongat, & senectutem retardat, hominemque in suo vigore tuetur.

15. Electuarium præservativum contra Pestem & alios morbos venenatos:

℞. Boli arm. drachm. iij. Cinamomi opt. drachm. ij. sem. citri excorticat. acetosæ, cort. citri ana drachm. iß. radic. zedoar. drachm. j. dictamni albi, tormentill. pimpinell. ana scrup. ij. rasur. eboris, oss. de corde cervi ana scrup. iiij. fol. auri. lunæ ana scrup. ß. lap. præpar. sapphyr. rubini, smaragdi, granat. ana scrup. j. M. f. Pulv. cui adde conserv. rosarum, acetosæ, buglossæ ana drachm. iij. sacchari in aqva bugloss. & endiv. dissol. unc. xvi. f. l. a. Electuar. Dos. ad qvantitatem duarum avellanarum: grassante verò jam peste unc. ß. cum vino datur quotidiè.

16. Elc-

16. Electuarium de Nucibus contra Pestem:

℞. Nuces jugland. num. xv. caricas pingves num. xv. rad. aristoloch. long. & rotund. ana unc. iß. tormentill. dictamni alb. pimpinell. ana drachm. iiß. herb. absynth. rutæ, scabios. asari ana m. j. bacc. lauri drachm. iiß. cort. citri, galang. macis ana drachm. j. flor. borrag. drachm. ij. oss. de cord. cervi, boli armen. myrrh. rubr. ana drachm. j. mellis desp. lb. ij. M. f. l. a. Electuarium, de quo detur manè instar lupini; potenter præservat à peste.

17. Electuarium contra Luem Gallicam:

℞. Panis bis cocti unc. iij. rad. sarsæparill. unc. iiij. fol. senæ unc. iß. mellis despumati lb. I. pulverisentur, & cum mellis q. s. s. a. fiat Elect. add. vini opt. parum in agitatione.

De hoc Electuario sumat patiens manè & vesperi singulis vicibus unc. j. ad dies 14. præmittendo Purgationem, & eandem die septimô reiterando.

18. Extractum carduibenedicti præstat contra pestem: Vid. *Asylum Langvent. Dn. D. Georgii Christoph. Petri, Med. Electoral. Moguntini, Facult. Med. in perantiqvo ad Hieram Lyceo Assessoris, editum Jenæ 1669. p. 65. 81.*

19. Gallinarum stercus contra Venena fungorum & inde ortos Coli cruciatus ex aceto, aut vino bibitum prodest.

20. Potio Alexipharmaca contra vulnera sclopetorum venenata.

℞. Mithridatii opt: Theriac: Andr: ana scrup. ij. margarit: præparat: corall: rub: præpar: ana scrup. j. bol: arm: drachm. ß. syr: de limon: unc. j. aqvar: buglossæ, scabiosæ ana q. s. fiat Potio, reiteretur bis, vel ter, si opus.

21. Alia Potio Venenatis Vulneribus sclopetariis conveniens:

℞. flor: lil: convall: Vinc: pervinc: ana p. ij. radic: galangæ, zedoar: ana drachm. ij. mumiæ, boli armenæ ana drachm. j. sperm: ceti drachm. ß. vini albi lb. ij. digerantur & circulentur in balneo per quator dies: dosis est cochlear I. manè & vesperi.

22. Pilulæ contra Venena:

℞. Pulv: rad: Imperator: bistort: tormentill: Valerianæ, dictamni albi, cardopat: aristoloch: rot: gentianæ rubræ, agaric: troch. sal gemmæ ana p. æq: succ: allior: ceparum ana q. s.

croci drachm.j. M. f. l. a. Massa: quando autem uti voles, formentur cum dictis succis Pilulæ.

23. Pulvis Alexipharmacus præstantissimus, & multis experimentis comprobatus contra vulnera venenata sclopetica:

℞. Rad. Asclepiadis unc.j. Valerianæ, tormentill. ana unc. ß. polypod. querc. unc.ij. Angelicæ unc.vj. althææ unc.ij. urticæ unc.j. scabiosæ, Valerianæ min. ana unc.ß. radices omnes evellantur intra 15. Augusti & 8. Septembr. quæ posteà incidantur ac reponantur in ollam vitreatam sigillatim cum sufficienti quantitate aceti, atque ita 12. horas macerentur: pòst coqvantur per horam unam cum dimidia, effusô tùm acetô exsiccentur, donec in pulverem redigi qveant: Contusis omnibus adde acinos herb. paris num.12. cum ejusdem foliis 36. f. Pulvis: Dosis drachm.j. cum vino.

24. Pulvis alius contra periculosos pestiferos morbos puerorum:

℞. Unicornu ver. corall. rubr. præparat. succin. alb. præparat. margarit. præpar. ramentor. auri, ungul. Alc. præparat. acc. part. æqv. hæc omnia benè contrita & mixta pulverisentur. Exhibetur hic pulvis in morbis calidis cum aqva rosarum: in frigidis verò cum aqva lavendulæ.

25. Pulvis contra toxicum & omne venenum:

℞. Rad. pimpinell. tormentill. Cinamomi ana unc.ß. lign. aloës, gran. juniperi, zingiber. ana drachm.j. rad. Angelicæ scrup. ij. fol. carduibened. drachm.ß. M. f. Pulvis. Dosis drachm.j.

26. Rotulæ sive Tabulæ contra Pestem:

℞. Lap. 5. pretiosf. præparat. ana scrup. ij. rad. bistort. angelic. tormentill. carlin. herb. carduibened. ana scrup. iij. rasur. ebor. C.C. corall. rubr. præparat. succin. alb. præparat. ana scrup. iiij. boli arm. præparat. drachm. ij. doronic. zedoar. caryophyll. cyper. rot. sqvinanth. flor. rof. rub. ana scrup. iß. fol. meliss. basilic. croc. ana scrup. j. sacchar. in aqv. rosar. q. s. dissol. lb. j. f. l. a. Rotulæ.

27. Scorpionum ictus pulvis sem. citri propinatus cum vino sanat.

28. Succus & semen citri in peste valent, teste *Bald. Angelo* p. 376.

29. Tro-

29. Trochisci venena fugantes, sive contra pestem:
℞. Mithridat. opt. drachm.j. pulv. rad. angelic. zedoar. spec. diamargar. frig. cinamomi elect. santal. citrin. ana drachm.ß. myrrh. rub. boli armen. præparat. ana scrup.j. moschi gr.iij. sacchari albiss. unc. vj. cum mucilagine tragac. ex aqva scabiosæ & parum succi limon. f. Troch. detineantur in ore, præservationis locô tempore pestis.

30. Viperarum morsibus urina humana internè sumpta succurrit.

CAP. X.

DIÆTETICUM aperiens Fontem Dissertationi finem imponit.

TAndem ad Diætæ ordinationem accingimur, cujus necessitatem *Galenus* indicans inqvit: *Frustrà illis optima medicamenta præscribuntur, qui Diætam servare nolunt, aut non possunt.*

Necessariam autem esse Medico hanc doctrinam Hippocrates *6. Epidem. 7.* docuit, ita monens: Victus ratio, quantum fieri potest, est cognoscenda, cùm eam non nosse multarum calamitatum causa sit. Hinc iterùm Galenus *Comm. in lib. de Vict. rat.* se solâ ratione victûs plurimos curâsse scribit.

Unde & quia multùm confert ad Curationem & Præservationem, meritò ad eam respiciendum est.

Hæc autem in rectâ atque legitimâ rerum Sex non-naturalium administratione consistit, quarum aliæ ad VITALEM, aliæ ad NATURALEM, aliæ ad ANIMALEM diætam referri possunt.

Agmen in fonte diætetico VITALI ducit *AER*. Si fieri potest, eligatur temperatus & purus: In *sanis* ad frigiditatem magis & humiditatem inclinet, in *ægris* ad caliditatem magis & siccitatem accedat, quò eò meliùs Natura expellere malignitatem possit. Locus, in quo æger decumbit, vel mortuus est, quantum possibile, vitetur: quia aëris tota substantia inexplicabili modo alterata per contagium propagare potest noxiam luem in vicina corpora. Contagium enim est inqvinamentum vitiosum, occultum, tempore pestis & aliorum grassantium morborum malignorum, è corpore ægrotante emissum, in simile corpus similem affectum pro-

producere aptum; agitque *occultâ* proprietate, & magis huic, quàm illi individuo insidiatur: sic consangvinei in Variolis, Morbillis & Petechiis magis habent, quod metuant, quàm qui nullam sangvinis cognationem agnoscunt. Itaque utplurimùm parentes, liberi, fratres, sorores, magis contagiô afficiuntur, quoniam major Naturæ sympathia est & similitudo: Sic observatum est ab Authoribus, nonnullos impunè aum infectis, quibus nullâ sangvinis cognatione erant devincti, conversatos, posteà à consangvineo infecto levi occasione etiam infectos fuisse. Hinc videmus, Naturæ cognationem & spirituum ac humorum consensum multum heic præstare posse. Viæ, per quas contagiosæ atomi corpus ingrediuntur, plures sunt, siquidem per aërem, os, nares, poros universi corporis attrahuntur, vel etiam ictu, contactu, morsu inferuntur Venena, quia totum corpus est perspirabile: deinde per vasa venosa & arteriosa & eorum orificia biantia ad Cor feruntur, & sic totum corpus inqvinatur.

Quòd NATURALEM diætam attinet, ab *Hippocrate* febricitantibus proponitur humidus Victus; sit tamen hic facilis concoctionis, boni que nutrimenti: Vitanda præterea est omnis cibi & potûs ingestio: Inedia etiam multos à Venenis & morbis periculosis liberavit. Præprimis in morbis venenatis, cibus & potus tam in qvantitate, qvàm qvalitate peccans vitandus. Hûc referuntur omnis generis tubera & fungi, qui nonnunquam venenatam materiam in recessu habent. Caro ferina rancida, multis in deliciis, à nobis rejicitur, cùm facilè in Ventriculo putrescat, pravis succis materiam præbeat, sangvinem corrumpat, & febres malignas generet: Alii etiam cibi putridi assumpti variorum morborum causæ esse possunt, & non raro ipsam pestem, affectusque Epidemios excitant. Contrà caro vitulina, agnina, bovina, cervina, leporina recens, sive cocta, sive assata placet. Suilla, cervina vetus rancida, fœtida, item bovis & vaccæ senioris exulet. Perdices, gallinæ, capones, turdi, columbæ juniores, anseres mediæ ætatis saginati, omnem bonæ nutritionis exspectationem explent: anseres verò & gallinæ seniores mensam non ornent. Inter pisces præferendi saxatiles, aliique viscositatis & glutinositatis expertes: Salis, aceti, sacchari, mellis usus

sit

ſit moderatus. Ova ſorbilia laudem merentur. Fructus horarii proſcribendi. Ulcera & tubera terræ, fungi omnes, cucumeres aliis relinqvantur: Juſcula ex carnibus bonæ notæ, ut & ptiſana hordeacea ſunt convenientiſſima. Potus multum nocet, ſi craſſarum partium ſit, & non benè defæcatus, qualis eſt cereviſia, quæ in loco qvieto repoſita, multas deponit fæces: illæ enim chylum impurum reddunt, ſangvinem corrumpunt, obſtructiones venarum & arteriarum pariunt, & tandem febres malignas inducunt: certamen poculorum quàm maximè nocivum, ſiquidem ad varios morbos viam ſternit. Vinum an in malignis concedi poſſit, de hoc Medici diverſis ſibi occurrunt frontibus. *Nos* bilioſis in febre intensâ cum ſiti, lingvæ ſiccitate & nigredine illud exhibere ſummè pernicioſum putamus: his autem, quibus febris remiſſior, malignitas major, ſitis ferè nulla, lingva humida, & qui ſunt pituitoſi, vinum arbitramur non adeò inconveniens eſſe.

In ANIMALI Diæta, *MOTUS* & *QVIES*, quæ inter res alias ſanitati maximè utiles ſummeque neceſſarias meritò recenſentur, quot, quæſo, pravos producunt affectus immoderatè & intempeſtivè inſtituta? Motus corporis nimius & vehemens ſangvinem concitat, vires defatigat, & quovis tempore nocet, præſertim à cibo aſſumpto ſtatim inchoatus crudum Chylum in venas lacteas præcipitat: unde corpus langvidum redditur, calor nativus exſtingvitur, appetitus debilitatur, & humorum perturbatio inducitur, & ſic tandem febres oriuntur. Qvies mediocritatis terminos excedens cruditates, obſtructiones, & tandem febres progenerat, unde totum corpus redditur deſes & effœminatum. Hinc eruditioni quidem, non verò ſanitati conſulunt, qui Studiis nimiùm incumbendo exercitia corporis contemnunt: quantum eruditioni addunt, tantum ſanitati detrahunt. Moderatum exercitium excitat erigitque nativum ignem ad ſubigendos crudos ſuccos, *Conring. Diſſert. de Germ. corpor. habit. antiq. & novo pag. 69.* Vigiliæ moderatæ ſalutares: Nimiæ ſpiritus animales turbant, debilitant, exhauriunt, capitis gravitates accerſunt.

SOMNUS & *VIGILIÆ* modum non excedentes multa

 com-

commoda præſtant. Somnus moderatus & juſto tempore inſtitutus facultatem vitalem & animalem reficit, ſenſus tàm internos, quàm externos roborat, ſpiritus deficientes reparat, tumultuantes demulcet, calorem viſcerum debilitatum auget, diſtributionem nutrimenti promovet, corpus humectat ac nutrit: *Hippocrates l. 2. de rat. vict. in acut.* Quòd ſi verò in exceſſu peccetur, & conſvetudo naturalis fundata in jure dormiendi de nocte, diurnô pomeridianô ſomnô violetur, crudi humores cumulantur, calor corporis hebetior, ſpiritusque torpidi redduntur, omnes actiones langvidiores evadunt, & tandem febres & morbi maligni ſeqvuntur. De *VIGILIIS* idem eſto judicium. Illæ, ſi ſint moderatæ, vaporum excluſionem in toto corpore adjuvant, ſtuporem, torporemque ſenſibus excutiunt: modum verò excedentes ſpiritus corporisque vires diſſolvunt, cruditates cumulant, coctionem turbant, bilem accendunt, & calidorum morborum cauſæ ſunt, quatenus nimirùm ſpiritus continuò agitantur, & humores æſtum concipiunt.

EXCRETA & *RETENTA* à naturali non declinent ſtatu, ſi non reſpondeant juſtâ menſurâ, febris cauſæ exiſtunt: unde alvus ſui officii immemor Clyſteribus admonenda eſt. Omnis generis immodicæ excretiones homines interdum ad febres malignas deducunt. Provida Natura excrementorum non ignara, cuilibet viam propriam dicavit, terreſtriores per alvum ſordes deponit, bilioſos & ſeroſos humores per veſicam educit, aqvoſas ſuperfluitates per poros cutis emittit, ſangvini ſuperfluo in fœminis menſes, in viris hæmorrhoides & nares deſtinavit. Quòd ſi verò hæc excrementa retineantur, & tranſitum non habeant, febrem inducere poſſunt. Veneris voluptatibus omnibus portam heîc claudimus. *ANIMI* ΠΑΘΗΜΑΤΑ vehementiora, quæ ſingularem corpus alterandi poteſtatem habent, non admittenda. Hilaritati & gaudio moderato locus relinqvitur. Timor, Ira, Mœſtitia ut ipſa mors fugienda. Nam IRA, authore *Hippocrate 6. Epidem.* retrahit Cor & pulmones in ſe ipſa: ſive enim erumpat & conceptum virus evomat, ſive concludat & retineat, ſpiritus in Corde & arteriis inflammat,

mat, ſangvinem in venis concitat, humores exagitat, morbosque inducere lethales interdum poteſt. MOESTITIA & TIMOR totum corpus alterant, temperamentum mutant, & crudos humores augent. TERROR ſpiritus vitales & ſangvinem arterioſum ad COR rapit, œconomiam corporis turbat, & ſi vehementior ſit, cor omni virtute ſpoliat, horrorem febrilem, immò ipſam febrem inducere poteſt.

Et ſic manum de tabulâ movemus, præſentemque de Morbis malignis & Venenis diſſertationem claudimus. Quòd ſi à Veritatis ſemita in uno, vel altero aberraverimus, à ſanioribus in veram nos doctrinæ reduci viam lubentes patiemur, quotidiè meliora edocti. Experientiâ multiplici adhuc deſtituti, doctioribus nos præbebimus faciles, dicendo cum *Divo Auguſtino : Qvisqvis mea hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum: ubi pariter hæſitat, qværat mecum: ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me: ubi meum, revocet me*, &c. item in *Præfatione lib. 3. de S.S. Trinit. Si qvid Veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum: at intelligendo, & amando & tuum ſit & meum: Sin autem me falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed jam cavendo, nec meum, nec tuum.* Paucis aperio mentem meam:

Hîc ſcopus unus erit, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini, amare bonos & tolerare malos.



VOTUM

VOTUM PIUM.

Tibi verò, æterne DEUS, qui hactenus laboribus nostris benedixisti, gratias ex intimis cordis penetralibus pro tuâ assistentiâ agimus maximas. Concede porrò clementissimè, ut omnia nostra molimina in Tui imprimis Nominis Sanctissimi Gloriam, proximi salutem, nostrumque denique vergant emolumentum!

SOLI DEO GLORIA.



Nulla tibi poterit nebulosi injuria cœli,
Nulla venenatô lingva nocere malô:
Toxica si Momi timeas, hîc pharmaca cerne:
Illa medela tibi non nocitura cluat.